Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Matthias Gesner

Io. Matthiae Gesneri, Eloqv. Et Poes. In Acad. Georgia Avgvta Profess. Pvbl. Ord. Academ. A Biblioth. ... Opvscvla Minora Varii Argvmenti

Tomvs III.

Vratislaviae: Impens. Io. Iacob. Kornii, MDCCXXXXIIII.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0001
DFG

XVI. XII. 116 p
Pr. 117 — ~~500 p. Ind~~ 520 Ind
Pr. Cons. p. — 360, Ind
Ind. Pr. 108 p
62 p

Ex auctione b. Cons. Heringii
1750. comp.
A. I. D. Aepinus.
34 /.

Ex auctione b. Aepini
2 Rd 17 ßl.

A. b — 3178 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1853697591/phys_0002
DFG

IO. MATTHIAE GESNERI,
ELOQV. ET POES. IN ACAD. GEORGIA
AVGVSTA PROFESS. PVBL. ORD. ACADEM. A BIBLIOTH.
SEMINAR. PHILOLOG. ET SCHOLAR. MAIOR.
INSPECT. SOCIET. REG. SCIENTIAR.
PRVSS. SODALIS

OPVSCVLA
MINORA
VARII ARGVMENTI.

* *

TOMVS III.

VRATISLAVIAE,
IMPENS. IO. IACOB. KORNII.
cIↃ IↃcc xxxxiiii.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0005
DFG



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

EDITOR LIPSIENSIS.

En tibi tertium Tomum Opuſculorum Geſnerianorum programmata funebria complexum, noſtraque cura editum cum ille, qui priores dederat, ob abſentiam loci hoc munere fungi haud potuerit. Praefationis aut corollarii adeo inſtar damus tibi partem epiſtolae illius ad clariſſimum REITZIVM, Luciano nuper, celeberrimi GESNERI verſione et adnotationibus illuſtrato, praemiſſae, vt, cum librum moles et caritas rarum iam nunc faciat, inde cognoſcere poſſint lectores noſtri, qua humanitate aduerſarios GESNERVS noſter tractare ſoleat:

EX PRAEFATIONE AD LVCIANVM.

— niſi hiſce ipſis diebus mihi allatus tandem eſſet liber, in quo a magna me ſpe deiectum, non ſine morſiuncula quadam doloris obſeruo. Putabam ita a me adminiſtratam prouinciam edendorum ſcriptorum rei ruſticae, vt forte in ingenio meo, in diligentia, in doctrina deſiderari aliquid poſſit; candoris quidem, pudoris, honeſtatis ſummam a me habitam rationem ſcio, eiusque rei animum meum teſtem habeo, vt velim ita mecum agi dum viuo, et cum ero mortuus, vt ego cum viuentibus et mortuis egi, quorum mihi lucubrationes commiſſae et creditae erant.

Itaque laetus in manus ſumebam exſpectatum aliquamdiu librum IVLII PONTEDERAE, viri merito ſuo clariſſimi, Patauii CIↃIↃCCXXXX editum, cui titulum praeſcripſit, *Antiquitatum Latinarum Graecarumque enarrationes atque emendationes praecipue ad veteris anni rationem attinentes, epiſtolis LXVIII comprenſae, et tabulis plurimis ornatae.* Cupide euoluebam epiſtolam

lam LIII, quam agere docebat argumentum *de Lipsiensi rusticorum Auctorum editione*. Non magis, credo, perturbatus est Cicero, cum redux a quaestura Sicula, et laudibus suorum ciuium inhians, quas meruisse sibi videbatur, obseruaret, esse homines Romae, qui ipsum de vultu ac nomine nossent, qui iidem, fuisse ipsum in Sicilia, nescirent, quam ego miratus sum, non potuisse me humanitatem et fidem meam probare Pontederae, sed eorum postulari, quae ego non nisi ab humilis admodum et abiecti animi hominibus admitti posse arbitror. Coniecit ille quidem partem maiorem eorum, quae inclementer et inique in me et editionem illam dicuntur, in personam amici sui ANDREAE MARAVI, de qua re, fateor, in mentem mihi venit Ciceronis illa expostulatio cum Appio, *Tu cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Si autem hoc genere delectaris, vt, quae tibi in mentem veniunt, aliis attribuas, genus sermonis inducis in amicitiam minime liberale. — Quare potes — genus hoc totum orationis tollere.* Disputabant, ego contra differebam: Dice-

bant, ego negabam. *An mihi de te nihil esse dictum putas etc.*

Verum sit ita. Ita calide amauerit IVLIVM PONTEDERAM, dignum profecto amore ob multas res, quas ego vel e tanto interuallo nosse potui, ANDREAS MARANVS, vir vel hoc nomine a me non contemnendus, quod Pontederae bona videtur intelligere. Sit igitur: ita amarit Maranus Pontederam, vt indulgentissima mater suos liberos; amarit etiam cum aliena iniuria. At a Pontederae sapientia hoc exspectari iure poterat, vt bilem amici, quam iniustam ipse agnoscit, quam de *puerorum* impotentia aliquid habere ipse fatetur *, mitigaret potius priuatis literis, et, vt potens est herbarum, catharticis quibusdam educeret, quam vt victuris eas chartis mandaret, monumentum futuras, quidquid de caussa existiment homines, pudoris alicuius literarum, quibus parum profecto decorum est obiecta talia esse rusticarum rerum editori, siue vera sint illa crimina, siue ficta. Plane et sim-

* P. 464. med. Hoc si dabis (quod nullo modo inficiari potes) PVERI EST credere, quae ex te commemorauimus ad Gesnerum pertinere.

ſimpliciter ficta eſſe ad vnum omnia, non auſim equidem dicere. Neque enim otium adhuc fuit indagare omnia: quam rem aliquantum operoſiorem fecit ratio illa, quod non vſus eſt vir doctiſſimus conſuetudine ea, qua ſolemus loca ſcriptorum, quae deſignamus, accurate indicare, qua ego per totum opus ruſticum non librum modo et caput, ſed minorem etiam particulam, laudaui: ſed plerumque ne librum quidem nominauit; verum ſimpliciter vnum aut pauca verba, ad quae crimen pertinet, poſuit. Vnde fit, vt ſi cuius non multum intereſt, ille ne euoluere quidem curet locum, de quo agitur, et ita ne audire quidem alteram partem poſſit. Nondum igitur indagare libuit omnia: ſuperſunt ſex ſeptem loca, ita laxe, vti dixi, deſignata, ea praeſertim, vbi argumenta Victorianarum annotationum, id eſt verba, ad quae illae referuntur, non recte dicuntur poſita, de quibus nihil, niſi hoc dicere poſſum, ſecutos nos eſſe rationem hanc, vt annotationibus tanquam titulos ſ. indices praemitteremus verba, ad quae referuntur, qualia ſupra in ipſo contexto ſcriptorum ſunt expreſſa: ita tamen, vt ſi vel Victori-

us vel Pontedera, vel alius quid mutandum censeret, illud ex ipsa annotatione intelligi satis posset. Fac autem, bis, ter, quater, saepius, aliquid sic peccatum esse, quod nondum equidem deprehendi: humanorum hominum erat, vt, cum tot a nobis commoditatibus auctos se sentirent, vt non iam per plures, raros bonam partem, libros discurrendum esset, aut Bibliothecae Italiae, Galliae, Belgii, Germaniae adeundae; vicissim aliquid nobis ignoscerent, homines esse tum nos, tum Correctores, et typographicas operas, cogitarent, pro millenis καταῤῥώμασι vnum nobis alterumque humanum errorem sine scutica transmitterent. Ingrati enim profecto animi est et nimis ieiuni, vti aliorum laboribus ingeniisque, dum commodum est, sexcentis inde in singulos prope dies commoditatibus frui: et deinde, vbi semel aut aliquoties caespitatum est, clamare, flagella, stimulos, faces verborum expedire, stigmata inurere hominibus optime meritis. Redeo ad Epistolam Pontederae. Non ausim confirmare, plane nihil esse in hac Epistola veri: supersunt enim, quae inuenire nondum potui: fateor, aliquot locis

locis omissum esse, cum ego Gottingae iam essem, vltima operis excuderentur Lipsiae, nomen Pontederae: sed iis in locis illud factum, quae vel sui auctoris alium characterem haberent, vel e quibus nihil, si reliqua viri decora spectes, ipsi decedere; parum mihi, addendum enim hoc quoque est, accedere, si quis mihi tribuat, possit. Vt enim is est vir doctissimus, ea illius in his literis exstant decora, quae nullam profecto iacturam sentiant, si aliquot minutae annotatiunculae operarum typographicarum culpa nomine ipsius careant: ita me non ita abiectum et ignauum hominem terra protulit, vt velim illa aerugine de Pontederae thesauris ditescere. Nam quod obiicitur, „Nostra (i. Pontederae „obseruata) vt abdita essent, neque lucem, „si fieri posset aspicerent, qua potuit dili„gentia curauit. Huc atque illuc dispersit „inhonora atque abscondidit"; illud mouere eum forte potest, si quis opus illud nunquam in manus sumsit. Nam caeteri vident, nos secutos esse morem olim receptum suis locis subiiciendi annotationes, vnicuique annotationi nomen sui auctoris, literis quidem maiusculis et ferientibus o-

culos, adscribendi; nisi quod nostras eo ipso satis putabamus signatas, si nullum illae nomen adscriptum haberent. Qua in re molestum nobis laborem compendii poteramus facere, et sumtum Bibliopolae non mediocrem, si illo more, quem tenuere V. G. in Iulio Caesare Iungermannus, Henninius in Iuuenale, vno tenore poni iussissemus primo Beroaldi annotationes, tum explicationes suarum castigationum Victorii, et ita Scaligeri, Vrsini, Pontederae lucubrationes. Nempe lectoris commoditati istuc datum est, quos labore, sumtu, molestia, et vt nunc apparet, inuidia nostra, adiuuimus. Quod si separatim sua edi iussisset Vir Clarissimus, a laetis ac triumphantibus hoc illi datum esset. Ex eodem „fonte est, quod sequitur: „ Tabulas, ipsa„rumque explicationes (quae libro tertio „Columellae praemissae sunt) eo animo „distribuit, vt non nostra sed Gesneriana „existimarentur. Nonnulla itaque prae‘,misit, deinde nostra annexuit nullo inter„uallo aut indice separata. Quamobrem „qui meum nomen in extremis legerit, id ‘,a nobis tantum, reliqua sine nomine a Gesnero prodita reputabit.“ Quin qui morem

morem ac legem libri supra expositam intelliget, is putabit, illam praemissam nostram animaduersiunculam, cui nomen nostrum apponere neglectum est (quia alias, vltimum locum tenentibus meis obseruationibus illud subiungi, quemadmodum modo monui, non solebat) etiam esse Pontederae, cuius illum eo minus pudere debet, quod ea continet, quae ipse quoque obseruauit. Et ita cohaeret tabularum illa explicatio, vt oporteat non luscum sed caecum, non festinantem sed stupidum et paene furiosum videri, qui de illa Gesnero aliquid tribuat: quod quidem genus hominibus ego auctor videri tabularum illarum non opto. Illud plane non intelligo, quod sequitur, „de suis vero *nihil nisi* am„pla forma, et magnifice exornatum eden„dum siuit.“ Praefatio nostra, si huc forte respexit, pro more literis est maioribus expressa; reliqua ita aequalia, ita similia, vt, quid sibi velit accusatio ista, nullo modo comminiscar. Sequitur graue crimen, „Tum a magno illo rustico apparatu, quae „a nobis restituta sunt, ad rusticos aucto„res intelligendos maxime attinentia, reie„cit; vbi enim *seges* vt nos explicauimus; „vbi *aruum*; vbi *origa* et *auriga*; vbi *fo*-

„*cus*

„*cus* et *foculus*; vbi *capiuntur* priſca ſigni-
„ficatione, et *praecipio*; vbi *ſictores* et re-
„liqua a *ſico* pro *ſeco*; vbi *ſerarius*; vbi *ar-*
„*ticularius*; vbi *curia* pro coenaculo; vbi
„tot alia?“ Cum haec legerem, putabam amiſſum aliquid eſſe, non peruenisſe ad me omnia viri doctiſſimi in ruſticos commentaria. Nam culpa mea nihil ſubtractum, ſatis certus eram. Sed cum de *Segete* ipſa mihi memoria ſubiiceret; cum ſcirem in vltima Fabri editione laudatum a me illo nomine Pontederam, lubuit quaerere, licet non ſiue iactura pretioſi nobis temporis, cum loca neque hic indicata ſint. Sed inueni ſuis relata locis praeter vnum omnia. Nempe ea quae ſtatim ad manus fuerunt, ſub ipſo contexto orationis; vt de *Segete* et *Aruo* ad Varro. 1, 29, 1; reliqua in *Addendis*, quae ſerius venerant: *Origa* et *Auriga* Varr. 2, 7, 8; *Focus* et *Foculus* Cato. 76, 4; *Capiuntur* et *praecipio* Cat. 142; *Sictores* et *Sico* Cato. 144, 3; *Serarius* Cat. 150, 2; *Articularius* Cato 157, 8. Vbi *Curia* pro *Coenaculo* lateat, non habeo iam dicere: culpa quidem mea, dolo volebam dicere; culpam enim quis praeſtare omnem poteſt? literam vnam Pontede-

tederae abesse nego *. De compendiis quibusdam lectorum in gratiam, vel emtorum potius, admissis, in praefatione causa dicta est, quam aliis me probasse, sat exploratum habeo. Quod deinde dicitur Hieronymus Lagomarsinius XC varieta tes in Columellae lib. 2, 2. notatas e Politiani libro protulisse, quibus careat Lipsiensis editio, illud fieri potest: neque meum est praestare quidquam praeter hoc, quae HENRICI BRENCKMANNI V. C. cura descripta Florentiae, et ad Th. Fritschium missa sunt, ea diligenter et cum fide repraesentata esse.

Adhuc nihil dictum est contra Gesnerum, in quo non iniuriam illi factam esse videant, quicunque oculos aperire voluerint. Grauiora superstant. De Marani sententia, quam aperte probat Pontedera „Nemini persuadere poterit Gesnerus, ea „se inuenisse, primumque excogitasse, quae „a Pontedera Lipsiam missa inter manus „habebat. Quis enim ante illum de Crescentio in illa re somniauit vnquam? „Quis de Catonis libro, Catoniana omnia „essent an contra, a quo est ante Pontede„ram ostensum? Quis de Columellae vo„lumi-

* *Etiam haec, inuenta est nempe* Addend. Varro. 2. 9, 8.

„lumine *de arboribus* inscripto ea, quae tu „collegisti, meditatus est?“ Quasi vero mirum esset, duo homines ab ingenio et literis non destitutos, hoc agentes diligenter, cum eadem subsidia habeant, videre idem. Quin ille ipse veri character est, si idem videatur pluribus. Caeterum viam vnumquemque nostrum suam iuisse, apparebit, si quis tanti putet nostras vtriusque commentationes inspicere, et inter se comparare. Pauca moneamus de singulis. De Crescentio, vt bona fide et quasi testis circumspectus agam, non ausim post quindecim annorum interuallum neque dicere, neque negare, primam illius notitiam a me deberi vel Pontederae vel Morgagno. Sed hoc scio, me in Bibliotheca, quam curabam, Vinariensi reperisse exemplar illud ipsum, cuius in Catalogo rusticis praemisso mentionem feci, in quo cum viderem crebram Catonis, et Varronis, et Palladii mentionem, et ipse satis otii non haberem, dedi librum Io. Rodolpho Engavio, discipulo tum meo iam antecessori apud Ienenses praeclare merenti, ab eoque petii, vt vbicunque triumuirorum rusticorum alicuius mentionem videret fieri, locum ipsum diligenter quaereret, et quo

libro.

libro, capite, particula inueniretur ſcriberet in margine libri, verba autem ex illis ſumta ſubductis ſignaret lineis: quod alacriter, vt erat ardens ſi qua gratificari mihi poſſet, ab illo perfectum. Adſcriptis etiam Creſcentii locis ad marginem ruſticorum, ſummam mihi commoditatem conferendi illos locos praeſtitit. Porro monumentum illud diligentiae Engauii ſeruat adhuc Bibliotheca Vinarienſis: Viuit autem, et diu, quaeſo, viuat ipſe Engauius, quem mendacii mei conſcium habere nolim. De Catone autem et Columellae libro qui potuit me fugere, niſi peponem pro corde haberem? qui familiariter per plures annos in illis verſarer, qui in Lexicon illud ruſticum referrem illorum formulas, qui componerem hinc Scriptores inter ſe, hinc ſecum ipſo vnumquemque, hinc omnes cum Plinio: qua in re meis me oculis vſum, docet ipſa illa allegandi ratio, qua nemo ante me vſus eſt, ipſa illa adſcripta paſſim loca parallela demonſtrant. Igitur nunquam mihi in mentem venit gloriari, tanquam viderim aliquid in Catone, et Columellae de arboribus libro: ſed ſtupidum me putarem et obtuſum, ſi non vidiſſem Catoniani libri hinc defectus hinc inter-

interpolationes, Columelliani autem operis praelectionem repetitam. Si alii ante nos haec non viderunt, non ingenium illis defuisse puto, sed hoc, quod in praefatione rusticorum memoraui, quod desultoriam nimis operam nauare solent libris antiquis plerique, quod non vno tenore legunt, non contrahunt cum iis penitiorem velut familiaritatem. Haec tu, REITZI praestantissime, vere a me dici eo facilius senties, quo plura tibi vel hic ipse noster Lucianus suppeditauit eius rei specimina. Si tamen subdolus hic fui, si inuadere gloriam alienorum inuentorum volui; si porro consilio omittere Pontederae alias obseruationes ausus sum: quis me stupor, aut quae religio tenuit, quo minus ea omitterem, in quibus illa inuenta hecatombe digna Pontedera proposuit? Quis non furem rideat, qui in diuitem domum absente per multa millia passuum domino vbi irrepsit, et satis temporis habuit suo arbitratu optima quaeque eligendi; deinde scruta quaedam secum auferat, pretiosa monilia, et auri fiscos, intactos relinquat? Talis ego profecto tam astutus Autolyci de gente fur sum, si ea subducere volui, de quibus supra dictum est; publicari autem curaui

curaui cum nomine Pontederae, et ad ea insuper lectorem remisi, quibus suppressis mihi tribuere pulchra quaedam inuenta in solidum poteram. Ad summum crimen accedo, in quo commotiorem fuisse moderatum alioquin virum, res ipsa loquitur, id est verba quibus vtitur p. 465. „At enim „in nos *dicaculus* euasit, nostraque eius fi„dei tradita et commissa vt ederentur, te„mere habuit, *immiscuit*, dictis perstrinxit „et carpsit, eorum vim infirmare et dissol„uere conatus, quod nemo suspicatus esset, „quia sacra et intemerata esse oportebat.“ In his omnibus nihil agnosco, nisi illud *immiscuit*. Nempe, si id crimen est, fateor, me reliquorum hominum doctorum, Victorii, Scaligeri, caeterorum, annotationibus ea, qua supra dictum est, ratione cogitata Pontederae *immiscuisse*. Male id factum agnosco, si inuito Pontedera factum est. Tu quidem, mi REITZI, vel non iuranti mihi facile credis, me maluisse simpliciter tradere typographis Pontederae obseruationes, quam curare, singulatim descriptae vt suis quaeque locis insererentur. Reliqua vana sunt; et possem ego, si *dicaculo* mihi esse luberet, hic pluscula reponere. Cogita hoc vnum, REITZI, si mihi

in mentem veniret tibi obiicere, dolo tuo omissa esse, quae tu, suo loco posita esse, e vestigio posses demonstrare; si subrepta mihi quererer, in quibus tu eadem tibi in mentem venisse ostendis; si indignarer a te reprehensas esse annotationes quasdam meas; si ea in re ita essem disertus, qualem modo clarissimum virum audiuimus: ecquid cogitares de me, diceres, scriberes? Sed nimirum satis ac plus forte quam satis erat, datum est famae meae, cui obesse cl. Pontederae Epistola poterat, si plane eam silentio praetermisissem. Obesse autem, scio, nihil poterit apud eos, qui conferre inter se et meam et viri doctissimi rationem voluerint potuerintque. Examen quidem et iudices acerrimos adeo non refugio, vt potius optarim, sedere Cassiana quosdam seueritate, et satis eosdem rerum, de quibus agitur, peritos. Si caeteroquin in his Epistolis deprehendero, et spero me inuenturum plusscula, quae prodesse rusticis nostris censeam; (maiorem quidem partem, praeter laboriosas de anno veteri disputationes, nos iam habere puto) diligenter curabo, vt illa vtilia esse queant pluribus, hoc est, vt repetendae rustici operis editioni inserantur, honosque habeatur eorum auctori,

cui

cui si in me fuit iniquior, non ideo subtrahendae sunt gratiae, et laus, quae ob rem bene gestam ipsi debetur. Quin acerbitatis et contentionis omnis adeo ipsa quoque vestigia tollere conabimur, studebimusque honestissimam ex hoc certamine palmam aequitatis humanitatisque referre, vt fruantur per nos posteri vtriusque ingenio et industria, litem intercessisse, ne quidem suspicentur. Hoc Pontederae bellum, hoc si quis alius pugnare mecum velit, denuncio.

Verbum hic addere lubet de accusatione, qua in commentario ad Lucanum petitus sum a viro, cuius ego doctrinam et merita semper feci, vt merebantur, maximi. Insimulatus sum, *quaesiuisse*, in summi dum viueret, viri obseruatis ad Quinctilianum, *quod reprehenderem*. Ab hac malignitate cum abesse mores meos nouerim, etiam famam meam liberari equidem cupio. Sed cum grauiter aegrotante, deinde mortuo contendere indecorum amicis et mihi videbatur. Igitur haec silentio contriui, neque vnquam vlciscar, nisi prouocatus ab his, qui Virgilium ipsius curant: tum enim cogar ostendere, quam non quaesierim, quod reprehenderem, sed quae vltro se obtulerint, vt

sumus homines, *peccata*, ea me sedulo, vti decebat literas nostras, vti postulabat quam profitemur humanitas, *texisse*. Non ego deprecor, quo minus vel Burmannus vel alii acerbam etiam censuram in scripta mea exerceant; ne iniqua quidem de ingenio, de doctrina, de laboribus meis iudicia deprecor; nunquam vbi de hisce agetur rebus, contendam vltra, nisi si forte illustrari sententia aliqua mea possit: quin beneficio me affectum profitebor ab eo, si quis meas mihi aberrationes vel placide, vel superbe etiam ostenderit. Beneficium, inquam, interpretabor, quamquam non ex disciplina Senecae. Magis enim mihi placet Platonici Timaei illud: Αλλα τῷ τῦτο ἐλέγξαντι, καὶ ἀνευρόντι δὲ μὴ ὅτως ἔχον, κεῖται, φίλα τὰ ἄθλα. Sed cum nihil mihi pudore, candore, ingenuo animo, maius videatur aut carius; cum mihi conscius sim, quanto laudem illam studio consecter; non est mihi committendum, vt eam quisquam tacente me mihi ereptum eat, quoties nempe in manu mea est iniquitatem accusationis ostendere. Si quis tamen, vbi feci omnia, maledicere, *de animo*, *de consilio* meo existimare, h.e. diuinationem sibi arrogare iniustam et ridiculam voluerit: meum erit ea contemnere, et a conscientia et animi tranquillitate petere, quam aliis obnoxiam non esse oportet, felicitatem. Haec galea nobis, hic clipeus, hic thorax erit: gladio enim vtemur nunquam, certe non nisi ad repellendum. Hactenus celeb. *Gesnerus*. Tu, lector beneuole, vale, nobisue has dapes tibi parantibus faue.

Scribebamus *Lipsiae mens. Mai.*
cIↃIↃCCXXXXIIII.

XXI.

XXI.

MEMORIA IOANNIS SALOMONIS BRVNQVELLI,

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS ATQVE ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS A CONSILIIS AVLICIS, IVRIS CANONICI PROFESSORIS ET IVRIDICAE FACVLTATIS ORDINARII, ITEMQVE ACADEMIAE PRORECTORIS AVCTORITATE REGENDAE COMMISSARII.

Heu triſte officium! heu deluſae ſpes! heu lacrumabilis pietas! Vicit, vicit ac triumphat inuidia. Habent tandem homines, quod vere in Gottingam dicere poſſint, quo ſuperioribus commentis et abſurdiſſimis mendaciis ſi non fidem apud prudentes, at apud alios ſpeciem concilient. Priuata eſt Gottinga vnico ſuo, maximo ſuo decore. Caput amiſit, rectorem amiſit, Palladium ſuum perdidit. Fuit, heu fuit! ciues, BRVNQVELLVS

LVS veſter, immo noſter, dulce paullo ante et amabile ac laetum nobis omnibus nomen. Vixit BRVNQVELLVS, vitam cum paterna illa, quam pro nobis omnibus ſuſceperat, cura et amore depoſuit. Clauſi ſunt illi vegeti et captatores animorum noſtrorum oculi, obmutuit os, e quo tamquam e perenni fonte tum doctrinae ſalutares, tum conſilia fideliſſima emanabant, obriguit dextra illa tum fide praeſtans, tum infinitis numero mortalibus ſcribendo vtiliſſima. Iacent tot praeclara inſtituta, tot honeſtiſſimae deſtinationes: intercepta in curſu feliciſſimo tot illuſtriſſimorum, generoſiſſimorum, nobiliſſimorum iuuenum, ad ſumma quaeuis ſub tam praeſtanti duce contendentium ſtudia. Quam dolet nobis, cariſſimi ciues, cum videmus deiectos vultus veſtros et nimium quantum ab illa alacritate mutatos, qua confluere ad BRVNQVELLVM noſtrum vel honorandum, vel audiendum paullo ante ſolebatis. Poteratne maior plaga aut inſanabilior rebus noſtris inferri? Poteratne infortunium minus expectatum obiici? In tanta caeli ſalubritate, in vrbe, vbi aegrotum non habebant, quem nominarent medici, illud caput peti, quod vnum in maxima reliquorum ſtrage ſaluum eſſe omnes optaturi erant? BRVNQVELLVM mori, qui ſaepiſſime laetus ipſe atque alacris, gratulabundis nobis commemorabat, ſentire ſe eas res, vnde viuitur, inter nos ita ſalubres, ita ſuo inprimis conuenientes corpori, vt nouam ſibi vitam viuere, nouas ſumere vires videretur. Et ſumſerat, et ita vigebat, vt qui illum intuerentur vel agentem aliquid negotii, vel inambulantem, quod ſtudioſe mouendi corporis cauſſa factitabat, vel inter amicos iucunde verſantem, facile robuſtam

buſtam viri valetudinem putarent. Sed quam ſubita, quam triſtis, quam calamitoſa nobis omnibus facta eſt rerum conuerſio? Heu pater! heu decus noſtrum! Sed modum ponamus querelis, nihil iam niſi ad augendum dolorem profuturis. Reſpiciamus fontem ipſum, vnde manat, quidquid amarum nobis atque miſerum videtur. Diuinam veneremur prouidentiam, quae munus ſuum oſtendit nobis, indulſit magna cum vtilitate noſtra, tempore licet breuiſſimo, et modo cum ipſi maturum viſum eſt, ad ſe recepit. Caecutimus mortales ad cognoſcendas, quam diu ipſe ſe nondum explicuerunt diuinae et gubernatricis rerum humanarum ſapientiae rationes: ſed nouimus tamen in illa ipſa, quae nobis interdum videtur rerum ſurſum deorſum euntium colluuie atque perturbatione, ita ſapienter omnia temperari, ita his quae auerſamur aptas et innexas eſſe commoditates; ita dulces ex amaris radicibus fructus, vt paullo poſt, qui veſtigia quaſi diuina perſequuntur diligentius, cum admiratione proclament, quae mala aliquam diu videbantur fuiſſe, ea et ipſa eſſe, ſi totum opus Dei atque conſilium ſpectes, optima, vel talia certe, ſine quibus, quod optimum eſt, obtineri non potuerit. Iniurii profecto fuerimus in caeleſtem prouidentiam, ſi bonorum, quibus per illum nos affecit, ad id modo reminiſcamur, vt lugendi inde et querelarum captemus materiam. Quin grati agnoſcamus, recte collocemus, quae in BRVNQVELLO habuimus: quae ſuperſunt ab eadem prouidentia, tranquilla mente et obſequi diuinis nutibus parata, expectemus. Quod ſi enim decreuit Deus, quod quidem factum non dubiis ſignis nobis videmur colligere, eſſe Gottingam litterarum optimarum

marum sedem, et bonae mentis publicam officinam; quam quaeso facile illi est et damnum quod fecimus sarcire, et ita gubernare quae supersunt, ita secundare regis et amicorum ipsius consilia, vt ringentibus etiam, qui nobis inuident, et frustra machinas omnes contra nos intendentibus, stet consilium Dei, floreat Gottinga, rumpatur inuidia, ament, et colant hanc litterariam vniuersitatem, qui nunc strenue sibi quauis arte oppugnandam putant. Absit ergo, ciues carissimi, vt animum despondeamus, vt diuinae obloquamur prouidentiae. Constantius amemus BRVNQVELLVM nostrum etiam cum inter nos versari desiit, et funus illius non inanibus lacrumis et molli eiulatione: sed virtutis ipsius atque meritorum commemoratione condecoremus. Agite, dum maius monumentum atque solidius illustri atque immortali viro paretur, summas modo vitae ipsius rationes hic cognoscite.

Vir, dum viueret, illustris et magnificus IOANNES SALOMO BRVNQVELLVS, *Potentissimi M. Britanniae Regis atque Electoris Brunsuicensis a Consiliis Aulae, Iuris Canonici in hac Academia Professor, et Facultatis iuridicae Ordinarius, itemque Academiae Pro-Rectoris auctoritate regendae Commissarius*, vitam hanc ingressus est Quedlinburgi a. d. XXII Maii CIↃ IↃC LXXXXIII, patre IO. HENRICO, qui cum in gymnasio illius vrbis bonas litteras diu, fideliter, et cum fructu docuisset, decimo huius seculi anno diem suum quatuor supra quinquaginta annos natus obiit: matre autem BARBARA DOROTHEA, gente MICHAELIORVM honesta et nobili in ea vrbe, quae anno demum CIↃ IↃCC XXVIIII sexagenaria maior e vita discesit. Educatus cum cura et litte-

litteris humanioribus imbutus, tum a patre, tum praesertim a TOBIA ECKHARDO, rectore ludi illius, viro docto sane, et ingeniorum formatore felicissimo. Harum litterarum amorem atque vsum cum in Ienensem Academiam attulisset, quod factum est CIↃ IↃCC XII, tanto faciliorem felicioremque seueriorum studiorum cursum habuit. Contigerunt illi doctores haud vulgares, qui praeclaram indolem, et ad summa quaeuis iam per se nitentem incitarent subleuarentque. In his primum ipse laudabat virum excellentis doctrinae atque famae IO. IACOBVM SYRBIVM, qui felicissimo connubio vetera cum nouis coniungens, solidam et notionum et doctrinarum philosophicarum cognitionem illi propinauit. Hanc auxit deinde EPHRAIMVS GERHARDVS, subtilis et ingeniosus doctor tum naturalis iuris cum philosophia reliqua, tum ciuilis etiam, paullo post Altdorffium, et deinde ad alteram vitam euocatus. Historias enarrantem audiuit illustrem dignitate et meritis virum, B. G. STRVVIVM, itemque BARTHOL. REICHARDVM, bibliothecae tum praefectum, amoenissimo ingenio et excellenti historiarum et iuris publici notitia virum. Dedit etiam operam non perfunctoriam placidissimi ingenii et vere philosophici, doctrinae autem summae, viro GOTTL. STOLLIO, per litterariae historiae, in qua regnat, campos et amoena vireta auditores suos iam tum ducenti, et SCHMEIZELIO, terrarum descriptionem et insignium artem tradenti. Quae ab his acceperat magistris BRVNQVELLVS, ea ad princeps institutum suum, hoc est, ad vniuersi iuris disciplinam tum percipiendam melius, tum elegantius

exornandam, retulit omnia. Huic enim, felici et salutari Germaniae fato, se totum tradiderat, et praeter GERHARDVM modo laudatum, celeberrimos tum antecessores SLEVOGTIOS, WILDVOGELIOS, FRISIOS, SCHROETEROS, vita functos omnes, audiebat; praeter caeteros autem grauem annis, honoribus, meritis, atque illustrem virum GVILIELMVM HIERONYMVM BRVCKNERVM, quem testem primo diligentiae suae atque doctrinae, mox dignitatis auctorem, et socerum denique habuit. Ab his cum percepisset iuris disciplinam BRVNQVELLVS, satiari tamen sitis ipsius non potuit, sed triennio integro Ienae exacto Lipsiam se contulit, non mercium magis aliarum, quam humanitatis, elegantiarum, doctrinae omnis emporium, ibique LVDERI MENCKENII, FRID. PHILIPPI, excellentissimorum hominum, quorum floret diuque florebit memoria, itemque CAR. OTTON. RECHENBERGII, qui nunc, praeter reliqua maxima decora sua atque nomina, primus antecessor et ordinarius facultatis iuridicae praeses est; horum igitur ingeniis et doctrinis facultatem, quam sibi Ienae comparauerat, ita auxit, vt in patriam reuersus explicare illam, et ad opem periclitantibus ferendam magno cum successu adhibere inciperet. Scilicet hoc sibi theatrum futurum putabat BRVNQVELLVS, hoc stadium, in quo decurreret. Sed visum erat Deo in illustriori longe statione collocare virum rebus maximis parem, eiusque consilii sui expediendi hanc quasi viam tenuit. HENRICVS CASPAR AB VSLAR, iuuenis tum et genere et ingenio florentissimus, in academiam Ienensem mittebatur anno seculi XVII. Illi

cum

cum quaereretur comes idoneus, inueniri non potuit noſtro praeſtantior. Hanc igitur occaſionem nactus non recoluit tantum iuris ſtudia, ſed ipſe quoque docendis priuatim aliis vires ſuas expertus eſt, et auxit egregie. Quo facto conſilium coepit dignitatis academicae petendae atque conſequendae. Neque ea in re difficultatis quidquam fuit, cum is eſſet BRVNQVELLVS, quem cupidiſſime ornaret illuſtris ICtorum ordo, et magnum inde ſibi ornamentum conciliatum iri praeſagiret. Curſoriam quam vocant lectionem in *L. 17. C. de Pact.* habuit a. d. XVIIII. Sept. CIↃ IↃCC XVIII. publice autem renunciatus doctor eſt a. d. VI Febr. CIↃ IↃCC XX. a quo inde tempore coetus priuatos iuuenum doctrinae ipſius cupidorum, diſputationes item publicas * eo ſucceſſu

* *De criminum abolitione*, praeſide Ephraim. Gerhardo, *Ien. 1714.*
Inaugural. diſp. *de Codice Theodoſiano, eiuſque in Codice Iuſtinianeo vſu*, ſub praeſidio Guil. Hieronymi Bruckneri, *Ien. 1719.*
De conditione: ſi non nupſerit, vltimis voluntatibus adiecta, 1722.
De proceſſu arreſti ad effectum ſiſtendi, 1725.
De proceſſu inhibitiuo in foris Saxonicis, 1726.
De acquiſitione dominii ex lege, quae fit ipſo iure, 1729.
De diuerſo patroni eccleſiaſtici et laici iure, 1730.
De variis iuris patronatus adquirendi modis, 1731.
Diſſ. inaugural. *de ratione dicti teſtium*, 1732.
Diſſ. inaug. *de vſu fructu mariti in rebus vxoris, moto ſuper illius bonis concurſu creditorum ceſſante*, 1732.
Diſſ. inaug. *de iure patronum honorifico primario, nimirum iure repraeſentandi*, 1733.
Diſſ. inaug. *de pictura famoſa, et de ſpecie iuris Germanici, pacto nimirum, quo maiores noſtri ſub pictura famoſa, bey Strafe Schandgemählde ſeſe obligarunt, occaſione receſſus Imperii de anno 1577. tit. 35. §. 7.* Ienae 1733. et recuſa 1734.
Diſſ. inaug. *de feudo Keminatae, vulgo Kemnad*, 1734.
Diſſ. inaug. *de vtilibus patronorum iuribus ex corrupto eccleſiae ſignificatu natis, parum vel plane non vtilibus*, 1734.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0031
DFG

ceſſu habuit, vt tribus interiectis annis tam ſpectata virtus praemio inſigni digna iudicaretur, et ipſe curiae prouincialis Saxoniae aduocatus ordinarius, tum poſt aliquanto profeſſor iuris extraordinarius a ſerenisſimis Ienenſis academiae nutritoribus eſſe iuberetur. Hic vero

Programmata: Prolusio *von dem allgemeinen Staats-Rechte, und deſſen höchſtnützlichen Excolirung.* Ien. 1721.

Prolusio academica *de diligenti comparatione omnium eiusdem inſcriptionis in Digeſtis capitum capienda, deque huius artificii inuentoribus et promotoribus*, Ien. 1724.

De ſectis et controuerſiis iuris Iuſtinianei interpretum, quos gloſſatores adpellamus, 1725.

De retractationibus veterum ICtorum, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt, 1726.

De ICtis erciſcundis ſiue miſcellionibus, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt, 1728.

De praecipuis ſolidioris prudentiae impedimentis, Ienae, 1728.

De variis veterum legibus ſuis ſanctitatem auctoritatemque conciliandi modis, 1729.

De ſollemnibus in exſecutione ſententiarum capitalium a Romanis adhibitis, 1733.

De pictura honeſta et vtili, 1733.

Programma, *quo priuilegium Saxonicum de non appellando etiam querelam nullitatis, ſupplicationem, ſimiliaque remedia ad ſumma imperii tribunalia excludere oſtenditur*, 1734.

De vſu linguae Germanicae veteris in ſtudio iuris feudalis Longobardici, 1734.

De iuribus patronorum vtilibus ſpuriis, 1734.

De digeſtis ſecundum indicem legum Iacobi Labitti, aliorumque κατὰ πλάτος *et verbotenus excudendis, Gottingae* 1735.

Prolusio, *qua in pugna iuris Germanici et Romani illud huic, in primis in cauſſarum illuſtrium deciſionibus praeferendum eſſe, niſi huius receptio probetur, oſtenditur, Gottingae* 1735.

Libri: *Hiſtoria iuris Romano-Germanici, a primis reip. Romanae atque Germanicae initiis ad noſtra vſque tempora ex ſuis fontibus deducta. Ienae* 1727. et *Amſtelodami* 1730. recuſa.

Iſagoge in vniuerſam iurisprudentiam, typis mandari coepta. Optandum exſiſtere alium aliquem Apellem, qui capiti pulcro membra reliqua ſubiiciat.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0032
DFG

vero campum nactus amplisſimum, dotes ingenii ac doctrinae theſauros hinc auxit praeclare, cum rebus in foro gerendis quotidie operam daret, hinc cum aliis feliciter communicauit. Itaque anno ſaeculi XXVIII. ſcabinorum quos vocant collegio, rebus litibus iudicandis, adſcriptus, et biennio poſt ordinaria iuris profeſſione, et loco inter curiae prouincialis Saxonicae aſſeſſores auctus eſt, quibus ornamentis accesſit anno XXXIII. illud, vt a ſerenisſimis Saxoniae ducibus Gothano atque Iſenacenſi conſiliarii aulici dignitas ipſi conferretur. Quo plauſu ipſum inter haec non iuuentus tantum academica exceperit, qua in re error non numquam aliquis intercedere poteſt; ſed quam probatus etiam ſapientibus viris et longo vſu rerum prudentibus fuerit BRVNQVELLVS, tum alia plurima documenta exſtant, tum vnum maximum atque certiſſimum, quod cum potentiſſimus rex noſter, huic academiae dari vellet virum et docendi iuris et dicendi peritiſſimum, qui auctoritatem conciliare nouae ſcholae, et allicere cupidam legum iuuentutem poſſet; hunc ipſi commendarunt proceres illuſtriſſimi ſapientisſimique. quae res Auguſto menſe ſuperioris anni perfecta ita feliciter nobis ceſſerat, vt veniret ad nos Kalendis Martii, quo die quanta alacritate veſtra, ciues, exceptus, quantum modeſtia veſtra delectatus fuerit, recordamini; vt gubernacula etiam academiae nouae a. d. VIIII Aprilis ſuſciperet; vt humanitate ſua et ſapientia omnes ſibi, tum collegas, tum ciues academiae mirifice deuinciret; vt luculentum numerum eorum nobis iuuenum alliceret, qui vel a generis dignitate, vel ab ingeniorum praeſtantia flos Germaniae ſuo iure appellari poſſunt; vt nihil

non

non felicis ſucceſſus in poſterum a ſpectata viri prudentia, doctrina, gratia, omnes merito expectarent. Heu! recrudeſcit dolor! Sed conſtanter, quae ſuperſunt peragamus: quamquam difficile eſt ſine lacrumis nominare emendatisſimi moris, et piam ad exemplum matronam SIBYLLAM CATHARINAM, viri quem ante iam laudauimus illuſtris GVIL. HIERONYMI BRVCKNERI, anteceſſoris primarii Ienenſis, et conſiliarii ſerenisſimorum Saxoniae ducum, filiam. Hanc enim ſibi BRVNQVELLVS, virgo quae eſſet parentum ſuorum et ſua virtute commendatisſima, expetiuerat coniugem, et obtinuit a. d. XXV. Aug. CIↃ IↃCC XX. Hanc fidisſimam vitae ſociam ab eo tempore habuit, in eius commoditate, et placidisſimis moribus, poſt labores moleſtiaſque ſuauiter adquieuit; ex hac liberos ſuſcepit patriarum auitarumque virtutum, quod auguramur, heredes, IOANNEM HIERONYMVM SALOMONEM, CHRISTINAM DOROTHEAM, GVILIELMVM SALOMONEM, et IO. ADOLPHVM. Hanc adflictisſimam nunc turbam, et fauore omnium digniſſimam, tanto minus vel hominum beneuolentia, vel diuino adeo auxilio carituram ſperamus, quo enixius elaborauit, dum potuit, quem lugent maritus atque pater, vt plurimae vel viduae mulieres, vel orbi parentibus liberi, in ipſo paratum haberent praeſidium, et ipſo tutore vel curatore incolumitatem ſuam retinerent: quo ſtudioſius integerrime atque ſapientisſime reſpondendo, iuſtisſimiſque ferendis ſententiis, opem oppreſſis quam plurimis tulit, atque adflictos ſubleuauit. Qua quidem in re, hoc eſt, in iure caſte atque ſapienter dicendo, et reliquis publicorum priua-

torum-

torumque munerum laboribus adeo sibi non pepercit, vt iam a satis longo tempore succumbere interdum laboribus nimis grauiter incumbentibus machina corporis videretur, et sollemnibus fere morbis quotannis laboraret. Itaque sunt inter nos, qui commemorantem audierunt, hanc sibi inter praecipuas causas fuisse migrationis in hanc academiam suscipiendae, vt per hanc occasionem laboris aliqua parte leuatus respirare aliquantum, et nouam quasi vitam paullo minus laboriosam posset ingredi. Affectum sane corpus Iena ipsum extulisse, et illa gratulatio indicat, qua auditus est laetari, quod egredi domo posset, non supinus exportaretur; et bona medicamentorum copia, quam huc secum attulit, quaque primo tempore vsus est. Sed, quod modo dicebamus, plane sibi aliisque restitutus videbatur, et vigorem omnem pristinum recepisse, ipsa etiam adflictissima nunc coniuge admirante subitam in melius mutationem. Verum enim vero sub finem mensis superioris febre correptus est tertiana cum bilioso vomitu et doloribus colicis. Ea porro febris post paroxysmos aliquot in continuam transiit, vehementem, cum purpura rubra pariter et alba, euanescentibus subinde, nulla, de qua constet, occasione data, exanthematibus. Inter haec anxietates summe exagitabant praecordia, non sine metu suffocationis; vltimis diebus spasmi accedebant; sensuum hinc retusa acies, hinc conuulsiones, et vndecimo morbi die mors placidissima, cui frustra intercedere praestantium medicorum cura conata est. Senserat ipse nihil sibi humanae opis, temporis autem parum superesse. Itaque ad spem alterius vitae erigi se caelesti epulo, domi per

sum-

ſumme reuerendum ſacrorum apud nos antiſtitem PRAETORIVM adminiſtrato, voluit, atque aliis de rebus quae poſt mortem ſuam vellet fieri, conſtituit; animamque immortalitatis ſemper appetentem parenti animarum atque ſeruatori vnico reddidit, vno ante impletum annum ſecundum atque quadrageſimum die, hoc eſt a. d. XXI. Maii, hora III. pomeridiana. Haue ſanctisſima anima, et a magnis in breui licet vita peractis laboribus, ſuauiter adquieſce! Mortales exuuiae a. d. XXIII. Maii in templi academici cryptam ſunt illatae. Funeris honorem cras illi, hora II. regio iuſſu, eo adparatu, quem dignitas viri in academico magiſtratu defuncti poſtulat, habebimus, quem vos, ciues cariſſimi, ſummo ſtudio adiuturos eſſe, tum veſter in BRVNQVELLVM amor, tum ea, quam in pleriſque veſtrum amamus, modeſtia nobis perſuadet: quo minus illud vobis pro auctoritate iniungendum putamus. Gottingae a. d. XII. Iun.

CIↃ IↃCC XXXV.

* *

XXII.

MEMORIA

VIRI EXCELLENTISSIMI DOCTISSIMIQVE

IO. GVILIELMI ALBRECHTI,

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. P. P. O.

Si quanto quisque est vel sua virtute praestantior, vel vita atque actionibus reipublicae vtilior, tantum etiam viuendi spatiis reliquos antecederet: ALBRECHTO sane nostro, longum saeculum deberetur, atque communem mensuram non minus supergressum, quam ipse sua se doctrina suo in remp. studio, suaque eam iuuandi facultate, vltra humile vulgus, et ignobiles animas extulerat. Iam diuersam longe mortalitatis legem, vt alias saepe in aliis, sic modo in AIBRECHTO etiam, non sine summo dolore agnoscimus, quae excellentem virum, atque ad fastigium eius artis, quam professus erat, magno gradu contendentem, in ipso maturae aetatis ingressu abstulerit. Agnoscimus fatum academiae, quae, vt res prope omnes magnae et memorabiles, magnis ab initio difficultatibus conflictatur, dum collecto inter ipsa etiam aduersa robore, conualescat. Ac de hoc viderit diuina prouidentia, quae sapiens augustissimi Regis nostri consilium beato rerum successu ornabit. Nostrum est supremos honores habere viro praeclare de litterata ciuitate nostra merito, et memoriam illius animis vestris, Ciues, quos ille mirifico quodam studio com-

 ple-

plectebatur, et si qui praeterea istaec legent, vitae illius breui enarratione commendare.

Debuimus igitur virum, dum viueret excellentissimum doctissimumque

IO. GVILIELMVM ALBRECHTVM,

Erfurto, cuius antiquitatem vrbis, celebritatemque, in decoribus eius numeraremus, nisi alia essent magis propria et maiora. Hic igitur natus est tertio saeculi nostri anno, die autem XI. Augusti, patre Io. Andrea, honestissimo senatorii ordinis viro, matre autem Anna Dorothea, honestissima et ipsa femina, quae grauissimo hoc casu non minus iam consternatur, quam non ita multis ante annis mariti sui morte adflicta est.

Caeterum animaduersis in puerulo felicis ingenii igniculis, nihil intermissum est, quo praeclara indoles, ad virtutem et doctrinam formaretur, in vrbe primum patria, in qua, hoc est in tanto numero litteratorum hominum, deesse boni magistri non poterant, deinde cum a domestico strepitu remotum vellent parentes, Gothae, cuius vrbis gymnasio Vockerodtius tum praerat, quo excellentiorem magistrum non temere habuit Germania. Huius et collegarum studio ad humanitatem formatus noster, et Graecae praesertim linguae luculenta notitia imbutus Ienae, cui academiae nomen dedit XIII. April. cIↃ IↃ CCXXII, Pro-Rectore Syrbio, audiuit Wedelivm, Teichmeyervm, Hambergervm, viros merito suo illustres, ita vt hunc praesertim sibi sumeret, cuius exemplo et praeceptis mathematicam disciplinam naturali doctri-

doctrinae substerneret, et naturae cognitioni, salutarem artem inaedificaret. Augendis deinde copiis suis intentus Vitebergam abiit, et BERGERVM, VATEROSque in primis coluit, VATERI patris etiam hospitio et conuictu vsus. Cum vero medicam artem, vt reliquas scilicet, quae in agendo versantur, commentatione sola ac disputatione addisci non posse, praeclare animaduerteret, quae nimirum circa vel hominum vel quaecunque alia corpora versaretur, multum inter se diuersa, nec satis dum plene et ex omnibus quasi partibus cognita: peregrinationem ingressus est litterariam, et Argentorati in primis aliquam diu commoratus, non tantum vt sermonibus virorum doctorum frueretur, sed vel maxime vt quotidianis circa vel viua vel mortua corpora chirurgorum operationibus interesset: quod cumulate mox Parisiis ipsi contigit, vbi sesquiannum magno illi naturae libro, pandentibus eum peritissimis, quos semper illa vrbs habuit, magistris, totus vacauit, et tantum sibi parauit earum rerum vsum, vt siue corpora essent agili et certa manu secanda, siue viae et quasi vestigia naturae matris ratione et oratione persequenda, facultatem vtriusque rei, admirabilem homines in ipso admirarentur. Itaque gratulata sibi est patria academia, cum illum sibi redditum Docturae honoribus ornare potuit, qua occasione disputationem *de morbis epidemicis* D. IO. ANDREA FISCHERO, viro excellentissimo praeside, plaudentibus omnibus, habuit, quod factum cIↃ IↃ CCXXVII; ac sequenti statim anno professorem vidit, et physicum prouincialem, magno ardore, successu autem felici, munus vtrumque tractantem, et latius subinde doctrinae suae atque ingenii famam spargentem. Hac in-

uitatus vir, et sua virtute, et sacris quibus praeest muneribus, venerabilis Io. Lavrentivs Pfeifervs, theologiae doctor, ministerii Euangelici apud Erfordienses senior, curiae ad praedicatores pastor, et Augustanae Conf. P. P. petenti non negauit filiam, tum virginem, emendatissimi moris et insignitae castitatis, Martham Christinam, quarum nuptiarum sollemnia celebrata a. d. XVIII. Iulii cIↃ IↃ ↃCXXX, cuius incredibilis, et par amori quo maritum suo merito prosequebatur, luctus, tum alias singulis horis recrudescit, tum in primis quoties ludentem, et ignarum calamitatis suae puerulum vnicum superstitem Ioannem Carolvm Gottlob adspicit. Sed huius quidem aetati faueat Deus, et matris luctum consoletur! Nos ad Albrechtum nostrum redimus. Emisit ille anno cIↃ IↃ CCXXXI, 8. *tractatum physicum de tempestate*, in quo difficile argumentum, siue quod verae caussae in Democriti puteo, vel sub Isidis peplo, solent latere; siue quod falsas multas alii commenti sunt; ita tractat, vt multum ei lucis intulerit, vulgi autem opiniones et astrologorum lepidas nugas, quae in saeculi nostri opprobrium nuper, interpolis vetulae instar, in scenam reductae sunt, ita refutauerit, vt virum foecundi et elegantis ingenii, acerrimi autem iudicii, et magnae eruditionis, facile agnosceres. Nec inferior est alius libellus, quem cIↃ IↃ CCXXXIIII. edidit, *de effectibus musices in corpus animatum*, in quo non minus, quam in superiore, ad ea, quae sensibus percipi possunt, reuocauit omnia, et hac via sollertissime inuestigauit caussas, qui fiat, vt certi soni certos in animali corpore effectus producant. Etiam hic, vt in reliquis scriptionibus fere omnibus,

mnibus, hoc egisse eum videas, vt in physicam doctrinam nihil pateretur inuehi, quod non ex natura corporum et legibus motus, a sapientissimo rerum auctore constitutis, iusto caussarum nexu deriuari posset. Talis igitur cum esset, qualem adhuc descripsimus, ab augustissimi Conditoris nostri consilio, quo nullum hodie sapientius esse omnes fatentur, delectus et ipse est, qui nouam academiam suis virtutibus exornaret; in quo spem atque expectationem minime fefellit. Cum enim ipse solus adhuc esset, qui salutarem artem promitteret; ipsique, quod onus plures alias sustinere solent, et apud nos etiam paullo post suscipient, soli interim incumberet; perfecit tamen alacri diligentia sua, vt qui apud nos operam ei adhuc dederunt, ii nullam partem de magno illius doctrinae ambitu desiderarent, et in vno ALBRECHTO haberent omnia. A quo enim tempore huc delatus est, quod factum a. d. XXVI. Nou. cIↃ IↃ CCXXXIIII, statim inuitauit domum suam studiosos programmate propositio, *de vitandis in doctrina medica erroribus*, vbi ostensa vanitate τοῦ ἀργοῦ λόγου, commodae et blandientis sua facilitate philosophiae, quae animae terribilibus nominibus nuncupatae omnia delegat corporis humani, vt formandi sic curandi quoque, officia; quae paucis tantum remediis, vel de somno excitanda sit, vel, vbi tumultuatur, ad quietem reuocanda: illorum denique rationem probat, qui in euentibus singularibus, quaecunque sensibus vel sponte patent, vel arte possunt subiici, curiose colligunt, prudenter omnia inter se comparant, ac deinde ex manifestis ac simplicibus, mechanica quadam lege, ad composita et occulta magis argumentantur. Sic verno superioris anni senas

coepit habere scholas, quibus vel praepararet futuros medicos naturalis doctrinae, et numerorum linearumque elementis, (nondum enim eo tempore habebamus SEGNERVM,) vel partes ipsius artis explicaret, in quibus magni BOERHAVII copiosam breuitatem, et laetam, in summa verborum parsimonia, vbertatem, oratione lucidissima solebat persequi; easque scholas omnes alacri et felici diligentia continuauit. Quin ne qua parte laborare academia, aut deficere videretur, nobilissimum medicinae candidatum CHRISTOPHORVM HENRICVM PAPEN adhibito, qui interim aduenerat, D. SEGNERO, peractis, quae praecedere solent, legitimis, et dissertatione inaugurali *de spiritu vini* ipso praeside habita, doctoris honore et insignibus exornauit, edito programmate, quo Hippocratis locum *de natura, quae nulla praecedente disciplina quae opus sunt in homine perficit*, a falsis eorum, contra quos alias etiam disputare solebat, interpretationibus liberat. Vltimum illi operum humanorum, non minus quam caetera vtilissimum, fuit anatome in duobus cadaueribus masculinis ab eo instituta, vbi prudentissimo consilio ita egit, vt in altero manu ipse sua secans, et interim declarans singulorum rationes, auditores in altero experiri iuberet, quam bene sequi praeeuntem possent. Vulgauit per hanc occasionem *paraenesin* inter ipsas dissectiones natam, qua vtilitatem huius studii, et quam non sufficiat iconum elegantissimarum, vel aliarum humani corporis imitationum contemplatio, exemplis e re praesenti petitis, luculenter demonstrauit. Venerat ad nos, vt cum animo vegeto & laboribus omnibus pari, ita corpore parum firmo, quod praecedens morbus debilitasset, vestigiaque

que in pedum tumore, et pallore lurido faciei reliquisset. Subinde etiam genarum et totius capitis tumor, intemperiem quandam significabat; paucique adeo menses abibant, quin hebdomade vna alteraque domi se continere, vel aegrotum corpus in publicum trahere, cogeretur. Ac credibile est, illum si plus otii sibi sumere, et quam aliis suadebat quietem, et reliqua morbo fomenta vel remedia adhibere voluisset; non illum quidem plenam sanitatem, quam aliis saepe procurauit, in suo etiam corpore effecturum, sed vitam certe in vnum alterumque annum protracturum fuisse. At ille vltra, quam patiebantur vires, imperiosus sui, et naturae suae, quam alioqui robustam plane et valentem sortitus fuerat, confisus, celeria et generosa remedia, quae in aliis vix tentasset, corpori suo adhibuit, necessariamque insuper curam et quietem ei subtraxit. Scilicet modo catarrhis et febribus rheumaticis laborabat, modo, idque satis frequenter, corripiebatur colica vehementi, ea, quae in morem ilei haematitae Hippocratici, (hoc nomine viuentis adhuc morbum vocauerat decus medicorum illustris WERLHOFIVS) soluebatur partim haemorrhagia narium insigni, cui alias etiam obnoxius fuit, partim copioso ex gingiuis foetidi liquoris profluuio. Paucis ante fatalem morbum diebus, haemorrhagia illa sollemni narium noctu correptus, cum ad anatomicos aliosque labores redire festinaret, offusa subito capiti et ceruici (*nucham* dicunt medici) aqua gelida copiosa, repressit crisin naturae forte necessariam: ac paucis post diebus ipse funestus nobis casus accidit. *Ante* diem enim V. Ian. cum aliquot diebus ante languisset more suo, post vomitum vehementissimum, sopore quodam, sensum et

vocem auferente oppreſſus eſt, quem vel lethargi, vel apoplexiae nomine comprehendere alii, alii ex Hippocratis diſciplina *Carum* appellare ſolent. Aduocatus D. SEGNERVS noſter, cuius titulis parcimus, quia noſter eſt, cum praenobiliſſimo viro et felici practico D. EBELIO, nihil eorum fecerunt reliqui, quae legitima in tali re et potentiſſima eſſe ſolent: pertuſa vena, cantharides adhibitae, ſpiritoſi liquores admoti: quae quidem omnia reuocare aliquantum fugientem ſpiritum videbantur, et aliquot verborum vſum reducere, vim ipſam morbi expellere non poterant: mox ergo in ſoporem illum relapſus animam Deo reddidit, a. d. VII. Ian. circa VIII. veſpertinam. Quid lucido illo interuallo cogitauerit, ex pauciſſimis licet illius verbis potuit intelligi. Interrogatus enim a fratre, *quid ſibi deeſſet?* qua formula conſuetudo Germanorum apud aegrotos vtitur; *omnia*, reſpondit, et paullo poſt Seruatoris noſtri nomen inter tumentia labia aliquoties eluctari circumſtantes animaduerterunt: vt adeo in IESV ſibi eſſe *omnia*, quae in ſe non reperiret, vel ſic ſatis clare indicauerit. Reſciſſo SEGNERI noſtri cura corpore iſta apparuerunt, quae quidem ad morbum et fatum viri pertinere videri medicis poſſunt. Inteſtina tenuia, ileon maxime, partes inaequales habebant, et per interualla inaequalia praeter naturam anguſtas: partes item inteſtini ipſius, tum meſenterii quoque, ſanguine copioſo turgentes inflammationis ſpeciem praebebant. Coli inferior pars duriſſimis fecibus oppleta: hepar ſanum, lien ſanus, niſi quod virumque viſcus in marginis interioris parte leuiter liueſceret. Veſica fellis naturalis magnitudinis. Ventriculus quatuor quaſi vncias nigricantis aquae continc-

tinebat, partem, vt videbatur, potionis, quam ipse sibi aeger parauerat. Fundus ventriculi copiosis, reliquae eius partes rarioribus obsitae maculis rubicundis, quas in corporis superficie deprehensas, petechias existimare medicus poterat, nisi quod aliquanto minores. Ren sinister totus fere tumore, quem scirrhum vocant medici, induruerat, itemque pars bona dextri, similique ratione totum fere pancreas adfectum. Cor, pulmo, sana; lympha pericardii dimidiae quasi vnciae. Caput vero apertum in sinu sagittali cerebri polypum habuit, crassum vnam circiter lineam, vncias autem duas longum, fibris constantem albicantibus, et posteriora occupantem. Iam illud non praetermittendum est, in quo post mortem etiam vtile et iucundum hoc caput esse videtur curiosis naturae scrutatoribus. Venae cerebri in laudatum modo sagittalem sinum hiantes partim purum habebant sanguinem, partim bullis minoribus aëris intermixtum, partim vero rupta continuatione cylindris puri liquidique aëris interceptum, adeo vt earum figuram nulla res magis referret, quam vbi corrupto casu thermometro, inaequalibus spatiis, aëris liquorisque colorati bullae et cylindri se inuicem excipiunt. Cum res minime vulgaris videretur, et in vtramque partem disputata, diligenter eam placuit perquirere, apparuitque et resciſſa ea parte, quae aëre turgida videbatur, concidere venam, aëre scilicet cum eo, qui cubiculum impleret, commixto; et admota candela clausum in vena fieri rariorem, maioraque sibi spatia quaerere. Negant igitur, qui adfuere, dubitare se posse de aëre ita admixto sanguini animalis viuentis, vt vim suam etiam seperatim a sanguine queat exserere; et hoc etiam nomine amabilem sibi ALBRECHTI

memoriam adseuerant, quod raro se spectaculo et quasi munere mortuus etiam adfecerit. Obseruatus porro est vterque cerebri ventriculus fero copioso distentus, et choroidei plexus copiosissimis obsessi hydatidibus, pisum minus magnitudine aequantibus; obseruata praeterea in eodem plexu vascula minora, funiculi quo ad epistolas alligandas vtimur, vel chordae in pandura mediae crassitiem habentia, pallidissimae lymphae plena. Quibus quidem omnibus ita deprehensis non amplius opus videbatur, caussam funesti casus quaerere. Atque vtinam, quam non difficile fuit proximas mortis caussas in secto viri corpore inuenire, aeque pronum esset luctus vel priuati, vel publici fomenta reperire ac solatia.

Vos diuinam nobiscum opem implorate, ciues carissimi, pro vita Sereniſſimi ac potentissimi Regis, pro incolumitate sapientissimorum academiae huius curatorum, pro felicitate publica, pro adflictissimae domus recidiua prosperitate; memoriam autem ALBRECHTI nostri (cum corporis exuuias Paullinae aedi iam commendauerimus) si is prae vestris commodis suae vitae tutelam minus curauit, si ipsa virtus viri et doctrina hoc meretur etiam ab ignotis, comiter per omnem vestram vitam conseruate. *Gottingae a. d.* XV. *Ian.*

cIↃ IↃ CCXXXVI.

* *

XXIII.

MEMORIA CHRISTIAN. FRIDERICAE GENTIS HVBNERIAE IN MATRIMONIO MAGNI CRVSII DEFVNCTAE.

Inſperatum nihil aut inopinatum eſſe debere ſapientibus, indignamque non imperatore modo, ſed prudente quocumque viro vocem, *non putaram!* ita crebri nos caſus admonent, vt mirum potius ſit, nos admirari interdum ea, quae quotidie fere eueniunt, quam ipſum hoc, quod contingunt. Tam frequentes ſunt eorum mortes, qui florentiſſima aetate, viribus, quae putabantur, integris, colore paullo ante optimo, abripiuntur, vt forte ſi rationem ineas, non minor horum futurus ſit numerus, quam eorum, qui pallore lurido, difficili reſpiritu, corpore macie exhauſto, tremulis membris, imaginem quandam inſtantis ſibi in horas omnes fati circumtulerant. Et tamen audimus, quoties iure ſuo mors vtitur, quoties iuuenes, pulcros, bene validos, vel ſuis ipſos viribus euertit, vel occulta et inteſtina peſte ita ſubruit, vt laetiſſimas aliquando arbores radicibus inſidens vel putredinis vitium, vel erodentis animalis noxa ſubito corrumpit; exclamantium voces, et vel admirantium vel

vel admirationem simulantium, hem! illene obiit? hoc aetatis? ita nuper demum hilaris? ita valentulus? in illo formae flore? Adeo post infinita experimenta, quae oculis se ingerunt quotidie, persuaderi nobis non potest serio, quod in ore caeteroquin habemus frequenter, quod poëtarum versiculis, et prouerbiis quibusdam inclusum saepe vsurpamus, et inculcamus aliis: crastino fidem habendam non esse, neque ab illa moriendi necessitate vllam aetatem esse exemtam. Scilicet, quas disputandi causa seiungimus, et nimis interdum distrahimus animi nostri partes, quibus intellectus et voluntatis nomina imposuimus; illae vnum quiddam sunt, et in ipsa actione, vitaque tota coniunctissimum, neque diuelli distrahique a se inuicem possunt. Hinc cum multa alia fiant, de quibus hic dicere nihil attinet, tum illud, vt in quae animus noster altera illa sui parte inclinatus fuerit, eo trahat etiam alteram, vt quae cupimus vehementer, eadem speremus facilius, nec contingere autem posse putemus ea, quae abominamur. Latissime hoc patet, et per totam vitam fusum est. Cur ita facile nobis videmur pulcri, sapientes, docti, honoribus omnibus digni? scilicet quia bona illa esse intelligimus, nihil autem bonorum a nobis cupimus abesse. Quo immoderatior ista est cupiditas, eo plus valet, ad excoecandam alteram, quam vocamus, animi nostri facultatem, adeo quidem vt illam plane interdum euertat, quod norunt, qui fatuorum custodias, quales Bedlamum Londini, et paruae Parisiorum domunculae, inuisunt, in quibus simillimas illius Athenienſis multos inueniri aiunt, qui a stulto voto suo frequentius repetito illud nactus fuerat furoris, vt quaecumque in

Pirae-

Piraeea appellerent, vel inde ſoluerent naues, eas ſuas eſſe putaret. Atque illi quidem nec reſipiſcere velint, et ſi quibus exemtus eſt talis error, illi poſtea faſſi ſunt, multum ſe ex illo voluptatis et tranquillitatis percepiſſe. Etiam ille ipſe, de quo agimus, error, quo mortem a nobis amiciſque noſtris, vt voto, ſic opinione, remouemus, ſapienter vtente etiam malis noſtris caeleſti prouidentia, multum adfert in vita commodi. Aedificant homines, ſerunt arbores, opera magna inſtituunt, non illi profecto eo, quod obtendere acutiores ſolent, ſolo conſilio, vt poſt ſe natis et alteri ſaeculo proſint, ſed quod probabili et vero ſecundum ipſos ſimili ſpe ducuntur fore, vt ipſi quoque viui vel operibus ſuis vel gloriae certe poſſint intereſſe. Illud quidem manet, mirari nos mortes hominum in ipſo aetatis, valetudinis, formae, faſtigio extinctorum, non quo res inſolita ſit, ſed quia vel propter amicitiam, vel quod exemplum noſtris de nobis votis aduerſatur, illas ſerio deprecamur, atque ob id ipſum, non ita facile euenire poſſe, nobis perſuaſimus. Refugit animus et horret in rem praeſentem ire, et eundum tamen eſt. Quis noſtrum non miratus eſt, quum triſtiſſimus de periculo, et paullo poſt de acerba morte CRVSIAE, feminarum apud nos decoris, nuntius aures noſtras primum feriret? Talis enim erat, quam propter humanitatem, modeſtiam, ſermonis iucunditatem, virtutem ſuam, diu viuere et inter nos verſari optaremus omnes: et ob hanc ipſam cauſſam credidimus formae floridiſſimae, vigori iuuentutis pulcerrimo, ſplendori oculorum viuaciſſimo, animo erecto, hilari, et venuſti cuiuſdam leporis pleno; vitamque longam, quam precati nimirum ei ſumus,

vt

vt ſperaremus etiam ſumus inducti. Hinc triſtis admiratio, hinc ſtupor nos percuſſit, a quo verſi ad dolorem ſumus incredibilem, non inde modo ortum, quod emendatae vt formae ita exempli matronam amiſimus, quae quocunque veniret venuſtatem ſecum, iucunditatemque, et virtutis, cum non tetrica ſed blanda eſt ac dulcis, imaginem adduceret; ſed ab illa cogitatione excitatum praeſertim, quod in mentem veniret irreparabilis, vt iam videtur, iactura, quam fecit in hac ſuauiſſima anima collega noſter et munere ſuo et virtute venerabilis, qui maximum rei familiaris columen, fidiſſimam et iucundiſſimam vitae ſociam, praeſentiſſimum laborum ſuorum ac moleſtiarum ſolatium, dulciſſimorum, quos ex illa ſuſcepit, liberorum matrem amantiſſimam, verbo, amabiliſſimam coniugem, repentino quaſi turbine e ſuo ſibi complexu ereptam, luget vehementiſſime. Sed illum ſua ſapientia atque virtus, quin diuinus ipſe ſpiritus, cuius in illo muneribus ſaepe fruimur, ſuſtinebit atque eriget: nos memoriam feminae ſanctiſſimae hac ipſa tabula vobis, ciues, et ad quorum ea praeterea oculos perueniet, commendabimus. Vitam ipſa, Dei auſpiciis debuit Io. Hvbnero, viro clariſſimo, et inſignibus in iuuentutem et optimas litteras, Hiſtoriam praeſertim, et vtrumque illius oculum, geographiam et genealogiam, meritis conſpicuo, qui tum ſcholam, quae Merſeburgi eſt, cathedralem regebat, anno autem ſaeculi XI. ad Ioanneum Hamburgenſe gubernandum euocatus eſt, cui viginti ipſos annos magna cum vtilitate iuuenum ſtudia illo duce aemulantium, nec minore cum laude praefuit. Matrem autem habuit Annam Sibyllam, Ioannis Olearii, S. theologiae in acad. Lipſienſi doctoris, profeſſo-

sessoris publici ordinarii, ac decemuiri, qui cum Capituli Cizensis, ordinis theologorum, nationis Saxonicae, totiusque adeo litteratae illius vniuersitatis senior esset, magis tamen meritis quam annis venerandus omnibus videbatur, filiam; sororem autem GOTTFRIDI OLEARII, quem inter decora sua aeternum commemorabit non theologorum Lipsiensium modo ordo, sed totus qua litteris cultus orbis est; tum GEORGII PHILIPPI OLEARII, S. theologiae in eadem academia doctoris, et Latinae Graecaeque linguae P. P. O. quem diu adhuc superstitem esse optamus. His igitur parentibus in lucem edita, anno saeculi septimo, ea ipsa nocte, qua Dei filium inter homines natum laeta recordatur Christianorum pietas, quo ipso etiam omine inducti parentes, non modo CHRISTIANAE FRIDERICAE nomen lepidissimae puellae imposuerunt, sed tamquam nascentis Christi munus tanto cariorem sibi habuere, tanto adcuratiori solicitudine educarunt. Nec frustra ipsorum vel studium vel spem fuisse apparuit, cum ita adolesceret CHRISTIANA FRIDERICA, vt in illius ingenio, disciplinae omnis, qua laudantur feminae, capacissimo, et moribus commodissimis, et humana quadam liberalique modestia, suauiter parentes acquiescerent. Inuitauit cognita virtus, quae in pulcro praesertim corpore splendide habitaret, virum summe reuerendum atque excellentissimum, MAGNVM CRVSIVM, S. theologiae apud nos professorem celeberrimum, qui redux paullo ante e Gallia Britanniaque, Bramstadii tum in Holsatia rem sacram faciebat, vt eam sibi vitae ac fortunarum sociam expeteret. Celebratae sunt nuptiae Kilonii a. d. XII. Maii cIↃ IↃ ccxxxii. e quibus tantum sincerae et castae volu-

voluptatis hauſit collega noſter optimus, quanto nunc moerore et luctu ingens adeo bonum deſiderat. Fecit illum noua coniux tum rebus aliis, tum pulcra et ſimili ſibi prole beatum. Nati ipſi ſunt ex iucundiſſimo coniugio Rendsburgi, quo migrare, et ſacra in aede noua Chriſti tum ciuibus, tum praeſidiario militi facere iuſſus fuerat, CHRISTI. GOTTFRIDVS a. d. XIII. Febr. cIↃ IↃ CCXXXIIII. et MAGNVS FRIDERICVS a. d. XVIIII. Febr. cIↃ IↃ CCXXXV. qui vix trimeſtris cum parentibus huc translatus eſt. Videbatur CRVSIAE commode eueniſſe migratio, ita hilarem, alacremque, et ſereno vultu iucundoque ſermone vtentem, numquam non inuenires; qua quidem re omnium ſibi animos atque amicitias facile conciliabat. Sed quid de valetudine ipſius, vltimoque adeo morbo iudicet experientiae non minoris quam doctrinae medicus, et Collega noſter, vir illuſtris GEORG. GOTTLOB RICHTERVS, ſereniſſimi regis noſtri a conſiliis aulae, et medicorum ordinis princeps, videamus. „Ob corporis, inquit, teneriorem texturam in prima „iuuentute cum variis morbis conflictata eſt, ante bi„nos etiam menſes vim catharralis febris ſuſtinuit. „Ex quo vix vires collegerat, cum die XVII. huius „menſis, quo extra vrbem animi recreandi cauſſa ve„hebatur, domum redux inſignem laſſitudinem, et la„titantis interni mali nouas inſidias ſentiret. Ad „quas mature arcendas die poſt leni remedio, quo ſu„dor eliceretur, vſa eſt. Rubere inde coepit et tume„ſcere tota facies cum vicinis partibus, nondum vero „malignae purpurae ſuſpicio emerſit, cui tamen breui „poſt fidem fecerunt miliares puſtulae per omnem re„gionem pectoris et brachiorum vbertim diſſemina„tae.

„tae. Sub finem diei accitus medicus id egit, vt aestum „sanguinis temperaret, placidioremque versus extre„ma motum conseruaret. Ita subsequentis diei Mer„curii, qui vigesimus huius mensis erat, lenior fuit „morbi decursus. Sub noctem omnia in deterius „fuere mutata, et inter multa indicia turbati animi „magisque exaestuantis sanguinis, euanuerunt pustu„lae, quae in superficiem cutis emerserant. Ipsa iam „de salute corporis sui desperare coepit et de coelesti„bus cogitare, paucaque circa exsequias suas monere. „Praesto in auxilium medicus omni consilio admitti„tur, vt spem lapsam erigeret, nec res omni successu „carere visa est, cum pustulae denuo erumperent, fla„tusque, quorum incredibilis tensio in primis viis pe„ctus et vicina respirationis organa fere oppressarant, „cum insigni leuamento dispergerentur. Sic reliqua „pars diei Iouis et integer dies Veneris inter spem „paullulum confirmatam transiit: verum hora matutina „tertia subsequentis diei Saturni accitus medicus subi„ta apoplexia correptam inuenit et inter prima artis „molimina exspirantem, postquam paullo ante repulsa „labe ad internum viscerum fomitem, et cessante dia„phoresi, vehemens spasmus non pectus solum oppres„serat et ad tussim vomitumque compulerat, sed et „abolito motu sensuque omnem vim morbi ad cere„brum transtulerat.“ Inter haec, XXI. huius mensis die, sentiens vim morbi, insuperabilemque vti dictum est iudicans, primo quidem testata est, aequo se animo et fiduciae pleno voluntati diuinae ex mortali se vita euocanti obtemperare, atque illo praesertim oraculo se niti, quo *viam* se *veritatem* et *vitam* profitetur Christus, *per quam solam aditus ad patrem pateat*: tum

maritum amantissimis verbis monuit, ne forte importunis precibus Deo quasi extorquere se, et vitam sibi longiorem efflagitare vellet; eique et sorori ipsius, suae glori, quacum vixit coniunctissime, ita vale dixit, vt suos etiam filiolos vtriusque curae et prouidentiae tenerrimis precibus commendaret. Nec fefellit illam, quam diximus, praesensio. Superauit morbi vis vt naturae quod supererat virium, sic praesentissima alias remedia summa cura prouidentiaque administrata, et tantum nobis decus exstinxit, animam autem Iesu Christi meritis sanctam ad beatarum mentium domicilia transtulit, a. d. XXIII. Iun. inter III. et IIII. matutinam. Nostrum est, carissimi ciues, hoc dare tum virtutis, quae in defuncta excelluit, memoriae, tum nostrae in moestissimum maritum, optime de nobis meritum ac merentem beneuolentiae, vt funeris pompam, quae

hodie hora II. ducetur *in aedem B. Virginis*,

decenter comitemur: tum mortis, quae nec iuuentuti parcit, cogitatione admoneamur, vt diligenter ne illa imparatos nos opprimat, prouideamus.

Gottingae a. d. XXVI. *Iun.*

cIↃ IↃ CC XXXVI.

* *

XXIIII.

MEMORIA
MARIANAE
E GENTE WYSSIA
IN MATRIMONIO
ALBERTI HALLERI
MEDICINAE P. P. O.
PRID. KAL. NOV.
BEATA MORTE DEFVNCTAE.

Acceſſit nuper, quod noſtis, inſigne decus academiae noſtrae vir excellentiſſima doctrina atque ſalutaris artis experientiſſimus, ALBERTVS HALLERVS, ab Alpibus inde, inter quos natus eſt, e ſinu patriae, Bernatis reipublicae, nutu et vocatione auguſtiſſimi regis noſtri, quem Deus amet, huc extractus; de quo viro ſine vanitate videmur poſſe contendere, eum, ſi priſco aeuo vixiſſet, quo fabulis inuoluere omnia moris erat, Orphei illius veteris fabulam potuiſſe ſuſtinere. Neque enim putandum eſt, primos illos heroas tantum eminuiſſe, vt non vel ſua aetate, vel multo magis noſtra, pares complures, aut ſuperiores etiam habuerint: cum illos non merita modo ſua, ſed magna in primis temporum proximorum vaſtitas et litterarum inopia, vel interitus librorum, tantum extulerint, vt iam velut extra comparationem poſitos vulgo admiremur. Non debet igitur erubeſcere

collega noſter, quamuis eſt modeſtiſſimus, ſe cum Orpheo quibuſdam in rebus comparari. Fuit ille, quantum praedicationibus veterum ad nos peruenit, et naturae rerum conſultiſſimus, et flectendorum poëſeos ope atque muſices animorum ſummus artifex: celebrantur ipſius κρατῆρες, et θεογονία, in quibus rerum origines, in primis, vnde tanta vis mali in naturam noſtram irruperit, expoſuiſſe dicitur; laudantur φυσικὰ, ſpeciatim περὶ βοτανῶν *. Qui HALLERI noſtri *carmina* viderint, illud praeſertim, quo *mali originem* perſecutus eſt; qui de *virtute*, qui de *ratione*, *ſuperſtitione*, atque *infidelitate* canenti operam dederint; qui intellexerint, qua ſollertia et humani corporis compages, et herbarum naturas perſcrutatus ſit; niſi immoderato antiquitatis amore ducuntur, his quae de Orpheo reliqua nobis fecit temporum iniuria, nihil inferiora cenſebunt, quibuſdam etiam partibus iudicabunt praeferenda. Quis vero diuinum *de Alpibus* carmen, modo non durior ſit illis ipſis rupibus, cognoſcere poteſt, quin moueri ſe ſentiat? cui, ſi vmquam audiuit μῦθον illum Orphei, non in mente atque ante oculos adeo verſatur, ille inter Thraciae montes Orpheus, ſiluas ipſas et cautes cantu mouens, et deſerta illa humaniſſima quadam voluptate mulcens atque mitigans? Vtinam vero non ſuperſit aliquid, in quo decantatiſſimam Orphei fabulam expreſſiſſe HALLERVS noſter videatur. Improuiſo ſerpentis ictu interfecta concidit Eurydice, coniux Orphei vnice amata, et

* Vid. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHII EPIGENES *de poëſi Orphica in priſcas Orphicorum carminum memorias liber commentarius.*

et fugit sub vmbras. Audacem facit amor maritum, ille suam ad ipsos inferos cantu et lyra fretus persequitur; implacabilem alias Plutonem exorat; commeatum impetrat ac reditum Eurydicae suae; sed quod amoris impatientia parum seruat legem sibi impositam, quod respicit pone sequentem, in ipso eam reditu amittit, nunquam recuperandam. Interiores huius fabulae rationes, animam, et ἱερὸν λόγον, iam non persequimur. Sed ipsius quasi corporis in hac fabula imaginem, nimis proh dolor veram! vidit nuper et acerbe luget haec litteraria vniuersitas. Non indigebit res declaratione nostra, si quis, quae iam de vita et morte generosae et sanctissimae matronae MARIANAE HALLERIAE pro more dicenda sunt, cognouerit. In lucem illa hanc edita est a. d. X. Febr. ɔIɔIɔCCXI. patre generoso ac nobili viro, SAMVELE WYSSIO, domino in Mathod et la Motte, matre MARIA a DIESBACH, quae vna VI. primariae nobilitatis in Bernate pago familiarum est, et heroas habuit habetque hodie, summis militiae decoribus illustrissimos; ac reliquis etiam nobilissimis gentibus varie innexa est. Ab his parentibus educata diligentissime, et ad dignum illa fortuna, illa domo, cultum formata, pietatis praesertim erga immortalem Deum sensu imbuta, et humanitatis illius atque venustatis, quae pudicitiae patriciae nihil officeret; laeta corporis pariter atque animi incrementa habuit. Contigit HALLERO nostro, vt ex proximo admirari virtutem et dotes generosae Virginis illi liceret, summam in primis in suos pietatem, quibus aegrotantibus ministrare, et cum valetudinis etiam noxa noctes integras adsidere mallet, quam iuuentutem suam cum aequalibus honeste oblectare:

admirationem diligentior attentio secuta est: quo accuratius autem eam obseruaret, eo plura deprehendisse sibi visus est illius ornamenta, profecta ab ingenio et diligenti cultu aucta. Verbo, beatus sibi videbatur, si ipsam futurae vitae sociam haberet, et nasci sibi optabat liberos tali matri quam simillimos. Compos voti factus, nuptialibus sacris a. d. XVIIII. Febr. cIↃ IↃccxxxI. rite peractis, crescere in dies laetus sensit mutuam vtriusque caritatem, hoc est, vtriusque felicitatem augeri. Habet dulcissima amoris illius pignora, MARIANAM, quae non nomen magis, quam totum matris instar refert, LVDOVICVM ALBERTVM, et GOTTLIEB EMMANVELEM, pueros mellitissimos, quos sine lacrimis vix adspicere est, vel ob id ipsum, quod tranquillitatem illorum et dulces lusus, matris fatum interturbare nondum potuit. Cum consilium cepisset HALLERVS, nutum diuinum, quo ad hanc ornandam academiam a sapientissimo magni regis nostri consilio vocaretur, sequendi; aegre illa quidem e sinu et complexu suorum diuulsa, amantissimum tamen maritum animose secuta, Berna discessit a. d. VII. Septembris; vltimo autem eius mensis die, post multas itineris difficultates et molestias huc appulit. Hic dum paullatim a fatigatione se recipit, dum explicandae disponendaeque supellectili intenta est, morbo corripitur, qui leuem initio catarrhum mentitus, febrem deinde malignam miliarem se prodidit. Aduersus hunc morbum maritus, cuius salutarem operam tot alii aegroti experti sunt, pugnat communicatis cum collega suo et nostro, ill. RICHTERO, consiliis. Quin factum est etiam, quod pro sua incredibili in nos indulgentia,

et

et prouidentia amabili, tali in re fieri iussit laudatissimum regis consilium; nuntiatum ipsi fuit de HALLERIAE periculo. Aduolat ipsius iussu etiam ill. WERLHOFIVS, numquam sine amoris et grati animi significatione a nobis commemorandus, consilia sua nostrorum consiliis iungit: quibus nec euentus ab initio defuit, adeo vt Hannoueram WERLHOFIVS cum optima spe rediret, superatis, quae durissima videbantur; stetitque ea spes per aliquot deinceps dies. Sed fallax proh dolor! fuit, et terrorem ex subita mutatione auxit. Die vltimo Octobris mane, cum placide videretur quieuisse, accedens maritus rigentibus oculis moribundam inuenit, cum sanctam animam apoplexia de formoso domicilio expelleret. Sic igitur, cum reuixisse videretur, cum e vita sua inexhaustum sanctae cuiusdam voluptatis fontem denuo aperuisse Orpheo nostro dulcis sua Eurydice; fugit heu! et spem omnem mariti destituit, votaque ipsius non nuncupata solum inualescente primum morbo, sed soluta etiam egregio carmine, cum is superatus fractusque videretur, fecit irrita. Sed ipsius scilicet piissimae matronae vota praeualuerunt. Cum enim per primum morbi decursum, seriam aeternae salutis suae curam tanto susciperet acrius, quo minus ad eam praesidii esse in caducis et fluxis rebus intelligeret: post sollicitos aliquot dies et anxios, recepit illam mentis alacritatem, quae ex conscientia reconciliatae cum Deo amicitiae, et fiducia salutis per Iesum Christum partae, oritur: atque inter alia apud S. R. OPORINVM nostrum, cum fractam illi vim morbi spemque recuperandae ex proximo valetudinis gratula-

tularetur: profeſſa eſt, malle ſe, ſi Deo ita videretur, iam diem ſuum obire, cum ſummo ipſius beneficio iam certa aeternae felicitatis eſſet; quam protracta lucis vſura in noua pericula, in nouas ſollicitudines, incidere. Compos voti ſui facta anima ſanctiſſima non poteſt (modo reſpiciat mortales) probare, ſi quis vltra naturalis deſiderii, et pietatis qua digniſſima fuit, modum eam lugeat, atque eo ipſo de feliciſſimo ipſius ſtatu videatur dubitare. Quod mortale illius fuit terrae hodie h. II. mandabitur in aede D. Iacobi, cui vos pompae atque caerimoniae, ciues cariſſimi, modeſte atque ita intereſſe par eſt, vt appareat, vos et *mortalitatis, vel aeternitatis potius! meminiſſe*, et in doloris, qui non ad maritum ſolum moeſtiſſimum, ſed ad nos omnes collegii iure pertinet, ſocietatem ſerio venire. Gottingae a. d. IIII. Nou. cIↃIↃccxxxvi.

* *

XXV.

MEMORIA FRANCISCI HENRICI STOSCHII,

IVRIVM STVDIOSI.

Tristi ac luctuoso nobis officio fungendi necessitatem imponit acerba mors ciuis ornatissimi, quem non communi tantum illo amore complectebamur, quo merito prosequimur, quicumque litteratae huic ciuitati adscripti paternae nostrae curae commendantur; sed tanto diligebamus magis, quo ipse erat amabilior, quo certiorem nobis spem praebebat, futurum, vt cum paullo post patriam ornaret suam, tum nostrae etiam academiae honori esset inter suos, bonamque illius famam suis moribus, sua doctrina, amplificaret ac tueretur. Lugemus merito, et magno sui desiderio ereptum nobis querimur, generosae indolis non minus quam stirpis iuuenem, FRANCISCVM HENRICVM STOSCHIVM, iuris studiosum, Emdanum e Frisia orientali: in quo quantam iacturam fecerit parens honoribus meritisque suis condecoratissimus, non ex eo tantum apparet, quod vnicum hunc filium habuit; sed quod is fuit noster STOSCHIVS, per quem seruari propagarique et augeri auita gentiliciaque Stoschiani nominis gloria, optimis artibus parta, videbatur. Quid sperare de illo illustris pater, quid

exſpectare patria potuerit, melius patebit, ſi, quibus maioribus ortus ſit, quae domeſtica habuerit exempla, quae ad virtutem, et bene merendi de patria ſua facultatem, praeſidia, tum a natura tum a doctrina illi contigerint, breuiter, et quantum huius ſcriptionis ratio permittit, exponamus.

STOSCHIORVM magnum in Sileſia nomen, illuſtris dignitas, et praedia tantae generis amplitudini ſuſtinendae paria. Gens per Bohemiam quoque, Morauiamque diffuſa, atque illuſtriſſimis CAVNITZIORVM, MARTINITZIORVMque Comitum, a communi ſtirpe ortorum, inſignibusque iiſdem hodie vtentium, imaginibus fulgens. Ex hac gente vixit circa medium ſaeculum quintum decimum HANS *von* STOSCH Laſnitzii in principatu Oppelienſi, qui ex DOROTHEA BALDRITZIA filium ſuſcepit et duas filias, quorum numeroſa ſoboles in Marchia Brandenburgica et Friſia orientali fuit *. Proauum noſtri, quem lugemus, STOSCHII eum fuiſſe nobis relatum eſt, cuius fratrum alter in Electorali aula Brandenburgica rem ſacram et conciones cum dignitate, et magna doctrinae fama, fecit, alterius autem fratris poſteri ſub huius, quod viuimus, ſaeculi initia FRIDERICO primo Boruſſorum regi inſtaura-

* Diſerte haec leguntur in MELCHIOR FRIDERICH *von* STOSCH *auf Mondſchütz Genealogia des hoch-graeflich-freyherrlich-und hochadelichen Geſchlechtes derer von Stoſch, Breslau und Leipzig* 1736, fol. p. 54. it. p. 169: in quo libro cum Emdanorum Stoſchiorum non niſi breuiſſima, quam indicauimus, mentio facta ſit, tanto magis faciendum viſum eſt, vt hic illorum etiam memoriam, qualem accepimus, litteris commendaremus.

ſtauratam veterem dignitatem, amplificata antiqua gentis inſignia *, accepta referunt. Haec familia, praeter alia ſua decora, habet etiam PHILIPPVM L. B. de STOSCH, ſereniſſimi Poloniarum regis et Electoris Saxoniae a conſiliis, virum manſuetioribus muſis amabilem, et hic quoque eo commemorandum lubentius, quod ipſius doctrinae et elegantiae, longis itineribus auctae et politae, fructum habemus, *Gemmas antiquas caelatas, ſcalptorum nominibus inſignes*, immortali caelo Piccarti non magis quam ipſius viri eruditiſſimi ſtilo deſcriptas **. Sed ad Emdanos STOSCHIOS reuertimur. In his aeterna memoria videtur futura FRANCISCI HENRICI, quem auum noſter habuit. Etenim ille, quos in Viadrina Patauinaque academiis, tum longa per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Belgium, peregrinatione (ſuſceperat eam duorum Polonicae gentis Magnatum comes) fructus doctrinae prudentiaeque collegerat, eos generoſa quadam et magnifica animi propoſitione ſuae patriae, illiuſque iuri publico, quod in controuerſiam diſceptationemque vocabatur, impendit. Primo quidem Berolini fiſco aduocatus operam nauarat. Anno autem ſaeculi ſuperioris LXXXIII. conſentientibus Emdanorum ſuorum ſuffragiis, electus reipublicae Syndicus, pro

* Nempe STOSCHIORVM omnium in ſcuto duo Nymphaeae folia ſunt verſus ſe inuicem prona, petiolis extrorſum inflexis, et decuſſatim ſibi deinde impoſitis, radicibus denuo coëuntibus. His, ſcuto iam quadripertito, in ſecunda ſuperiori et inferiori prima regione poſitis, regia Boruſſorum aquila alternatim illic primo hic ſecundo loco adiecta eſt.

** Prodiit opus pulcerrimum cum LIMERII *interpretatione Gallica Amſtelod.* 1724. fol.

pro muneris ratione cauſſam illorum magno animo, nec minore doctrina, cum ſtilo tum praeſens ipſe Vindobonae, annis LXXXVI. et duobus proximis, egit, cuius rei publica quaedam ſcripta* perpetuum illi teſtimonium apud poſteritatem etiam perhibebunt. De cauſſa ipſa vel iudicarunt vel arbitrati ſunt, quorum ea curatio fuit; exiſtimare licet vnicuique pro ingenio ſuo vel ſtudio. Illud quidem, dum exſtabunt ſcripta STOSCHII, apparebit, virum fuiſſe eruditum, acrem, reipublicae ſuae et peritiſſimum et amantiſſimum. Quam diligenter noſſe ante omnia res patriae ſuae, cuius cauſſam ſuſceperat, ſtuduerit, teſtis adhuc inter amicas manus verſatur libellus manu ſummi viri exaratus, in quo hiſtoriam Friſiae orientalis, tum ſacram, tum ciuilem, diligenter perſecutus eſt, quamquam neſcio quibus impedimentis abſoluere, quod inſtituerat, ſit prohibitus. Hoc igitur viro vſa etiam eſt patria in conuentione, qua anno ſaeculi ſuperioris LXXXXIII, FRIDERICO III. Brandenburgico Electore, et ERNESTO AVGVSTO Brunſuicenſi, arbitris, Hannouerae inter CHRISTIANVM EBERARDVM Friſiae orientalis principem et prouinciae eius ordines, tranſactum eſt:

* V. G. *Widerholter Abdruk eines ſo genannten hochfürſtl. Oſtfriesl. vormundſchaftl. publicirten, und dem Collegio Adminiſtratorum et Deputatorum eingeſchickten Landtags-Schluſſes, nebſt angehängten gründlichen Anmerkungen und Extracten aus den Fundamental-Geſetzen des Landes*, An. 1684. Quod quidem ſcriptum velut pro compendio iuris publici Friſiae orientalis habetur. Ipſe quoque iudicibus ab aula imperiali delegatis praeter alia, quae publicam lucem nondum videre, obtulit. *Eine unmaſsgebliche Anweiſung, daſs es in Oſtfriesland mit der Landes-Regierung iederzeit eine beſondere Bewandnis gehabt.* Habetur in LVNIGS *Grundfeſte*, P. II. p. 458.

est: cuius quidem compositionis transactionisque tabulas inter fontes publici iuris, quas leges fundamentales vocare solent, habet patria: cui quam carus fuerit STOSCHIVS, quam honorifica de illo facta sint principum iudicia, inde constat, quod et Francofurtensis academia illum suum alumnum ad publicam iuris publici suscipiendam professionem sibi expetiit et vocauit; et laudatus modo princeps orientalis Frisiae CHRISTIANVS EBERARDVS, pro eo vt maximi illum semper fecerat, consilioque illius fideli ac sapiente, non minus quam alii principes, saepe fuerat vsus, assessorem supremae in patria curiae esse voluit. Sed ille excusauit se omnibus, vt tanto enixiorem scilicet operam suis, quibus merito carus erat, ciuibus praestaret. Hic vir ex digna se coniuge suscepit patrem FRANCISCI HENRICI nostri iam moestissimum, virum dignitate ac meritis illustrem et magnificum, ADOLPHVM CHRISTOPHORVM STOSCHIVM, qui ICti nomen et honores non inaugurali modo disputatione, Groningae anno XI. huius saeculi habita, sibi peperit, qua *Specimen collationis iuris priuati communis cum iure priuato Frisiae orientalis* a se elaboratum proposuit; sed actu ipso rerum, et nunc rebus iudicandis, nunc iuuanda consilio sapienti patria, ita tuitus est, vt dignum tanto patre filium, reuiuiscentemque in illo patris gloriam, omnes agnoscerent. Itaque primo in Quadragintauirorum collegium adscriptus, et scultetus, vt ibi vocatur, iudiciorum, vicariusque in consilio rerum bellicarum praeses renuntiatus est. Postea Emdae ciuitatis nomine administrator prouinciali Aerario additus; tum factus senator; denique, quod summum habet illa ciuitas fastigium,

gium, consulatu Emdano ornatus est. De quibus omnibus muneribus adeo meritus est mereturque magnifice, vt quemadmodum in ipso paternam virtutem laeti ciues amplectuntur, ita omnes optauerint, hereditariam quasi porro esse illam gloriam, et iam tacita destinatione (vah! fallaces hominum spes, vota irrita!) vnico ipsius filio auitos paternosque honores desponderint. Nempe natus est FRANCISCVS HENRICVS noster a. d. XXIIII. Martii A. R. S. cIↃ IↃ CC XVIIII, Emdae, matre AGNETA, IBELINGKI de REHDEN filia. Patricius ille vir erat, et nomine tertii ordinis administrator prouincialis aerarii apud Emdanos, qui rebus quas a STOSCHIO syndico gestas diximus, ipse quoque plerisque, legatus a suis ciuibus, interfuit. Huius IBELINGKI vidua, auia materna nostri, viuit hodie, et nepotis sui mortem acerbissime luget. Est illa e nobili gente NOVIA Brabantici generis, vnde pater ipsius religioso se exsilio contulerat Emdam, ibique centuriam militum ciuitatis duxerat. Orbitatem generosae matronae et ad exemplum factae, solantur ipsius ex filia alia, defuncta pariter, et genero, viro consulari, nepotes, fratres de POTTERE, (quod ipsum quoque Brabanticae nobilitatis nomen est, familiaeque per similem religionis caussam Emdam olim delatae) qui cum maxime cultum felicium ingeniorum hic apud nos capessunt, et consobrini fratris funus curant non sine lacrimis, tanto maiore nobis studio tuendi, et quantum in nobis est ornandi, vt desiderium STOSCHIANAE virtutis per illos si minus tollatur, quod fieri non potest, at minuatur certe ac mitigetur. Debebat STOSCHIVS noster caelesti prouidentiae ingeni-

genium illis, quos diximus, maioribus dignum, generosum, mite, capiendae virtuti et optimis artibus aptum. Neque intermissum quidquam pro fortunis domus est, quo illud ad virtutem, cum qua homines censentur, tum quam Christo auctore sequimur, accurate formaretur. Qua in re, post domesticam disciplinam et praeceptores priuatos, fideli opera publicorum scholae Emdanae doctorum, DECKERI atque ADOLPHI, rectoris illius, huius conrectoris, vsus est. Sub hiemem anni CIↃ IↃ CC XXXVII. in academiam Groningensem missus, praeter alia a clarissimo ECKIO Iustinianea institutione initiatus est, in Clarissimi vero OFFERHAVSII scholis antiquitatis Romanae, sine qua in iure Romano frustra aliquem laborare cognouerat scilicet, vberem gustum hausit. Anno ibi peracto huc delatus diligentem et ingeniosam ICtis nostris operam dedit: atque illustri GEBAVERO duce tum Institutionum imperialium et Pandectarum, tum iuris feudalis campos emensus est. Illustris REINHARTHI vero recitationibus bis illustrari Pandectarum doctrinam audiuit; iurisque canonici elementa ab HANNESENIO tradi sibi curauit: eaque iuris studia imperii Rom. Germanici historia, praeeunte celeberrimo KOELERO nostro, et logicis atque iuris naturae praeceptionibus excellentissimi KAHLII, partim distinxit, partim expoliuit. Corporis saltatione vibrandisque armis mouendi, animique musicis modis reficiendi cum consuetudine vteretur, reliquis vel remissionibus vel ventilandi sanguinis rationibus, quae prauis saepe voluptatibus obtendi nomina solent, tanto facilius et aequiore animo caruit. Iamque noua curricula, iuris qui-

quidem publici illustri SCHMAVSSIO duce, excellentissimo SEGNERO autem vireta naturalis philosophiae ingressurus erat, CLAPPROTHIOQVE et WRISBERGIO iurium illi doctori, huic candidato nobilissimis, suoque ordini probatissimis, illi Struuianam iurisprudentiam Germaniae repetenti, huic ius criminale explicanti, comitem se professus fuerat: cum praeclaris conatibus morbus intercedens inuitum retraxit ex auditoriis, et lectulo affixum tenuit. Aduocatus ad illum excellentissimus collega noster BRENDELIVS, quo medico multi subinde conualescunt, febri illum ardenti correptum deprehendit ex eo genere, quae tertiana remittens duplex, vel cauſus periodicus duplex nominatur, quae praesidiis omnibus salutaris artis adhibitis adeo non cesſit, vt potius paucos post dies in phrenitidem continuam mortiferasque conuulsiones eruperit, quae pulcram animam suo e domicilio reluctantem quasi expulere. Factum illud a. d. XIII. Maii, non sine terrore et lacrimis carorum sodalium, qui nihil fecerant reliqui, quod vel ad viuendi proroganda spatia, vel ad moriendi felicitatem videretur vllo modo pertinere. Luctuosam illustri parenti, auiae generosae, familiae amplissimae, huicque adeo academiae, mortem, prospere ipsi STOSCHIO eueniſſe, tanto minus dubitamus, cum et tota vita optimi adolescentis testimonium perhibuerit, radices egiſſe in animo illius Christianae fidei, quibus diligenter imbutus erat, argumenta, eaque illum non sentiendi modo formulam, sed regulam quoque viuendi habuiſſe: et sub ipsa morbi initia, integris adhuc mentis viribus, et nondum turbato sensuum ministerio, apud amicos professus

fessus sit, se cum primum vires recepisset, vt interesse sacris publicis suae professionis in vicina Bouendensium ecclesia posset, sacra synaxi vsurum; interim se solis Iesu Christi meritis, promissaque et parta per illum tum puritate a labe naturae nostrae, tum admissorum impunitate, nixum, caelestem aeternamque vitam, firmissima animi inductione quae Spiritus S. in se opus esset, sperare atque praecipere; eiusque spei alendae et confirmandae caussa, publicum sibi ecclesiae suae libellum, quo *consolandorum aegrorum ratio* praescribitur, praelegi curauerit. Non dubitamus igitur saucio moestissimi parentis animo hoc ipsum fomentum iustissimi doloris primum admouere, vt cogitare illum iubeamus, non totum sibi periisse vnicum filium, neque esse aequum, immoderate illum lugere, cui bene sit, qui in portum celeriter ille quidem, et velut agitante procella, sed feliciter tamen sit inuectus. Neque vero in iusti publicique funeris honore nihil esse speramus, quod ad erigendum magnificum illustremque virum pertineat. Itaque tanto enixius a vobis, illustrissime Comes, hospites pro suo quique nomine et honore ornatissimi, collegae honorandi, ciues carissimi, contendimus, vt funebri pompae, quae cras die XXI. Maii ex aedibus Eberweinianis in Wehndana platea sitis in templum academicum ducetur, frequentes interesse, et virtutem beate defuncti honorare, familiae autem illustri hoc argumento declarare velitis, illud hic agi omni studio, vt et viuis nostris ciuibus bene sit, et fato suo functorum etiam honori memoriaeque, quantum in nobis est, consulatur. *Gottingae a. d.* XX. *Maii*

cIↃ IↃ ccxxxx.

* *

XXVI.

MEMORIA
ELISABETAE
E GENTE BVCHERIA
IN MATRIMONIO
ALBERTI HALLERI
DEFVNCTAE.

Magnum nobis et ſerio dolendi argumentum obiecit nec opinata mors matronae omni vera laude cumulatiſſimae,

ELISABETAE HALLERIAE,

cuius cum indicendum funus eſt, ita mentem ad ſcribendum ſeſe dantis occuparunt ipſius virtutes, ita luctus mariti animum implet et aberrare nuſquam patitur, vt de alia re agere, quam de ipſa doloris noſtri cauſſa vix ac ne vix quidem poſſimus. Quid enim? non publica dolendi materies eſt ſublatum ex oculis ciuitatis noſtrae pietatis, obſequii aduerſus maritum, modeſtiae, pudicitiae non plebeiae illius et ruſticae, ſed patriciae et vere generoſae, tum prudentiae in loquendo pariter ac tacendo, omniſque, quae ſexum illum atque ordinem condecet, virtutis viuum, eaque ipſa re potens ac validum ad animos humanos, exemplum? in quod, intuentes virgines noſtrae et matronae iuniores poterant videre, non vanas eſſe illarum

quas

quas modo diximus, rerum praeceptionès, non describi tantum in libris et fabulis, sed adhuc exstare inter mortales, et conspiciendam se praebere viuam spirantemque virtutem. Nondum annus est circumactus integer, cum illa e patria sua ad nos delata statim omnium animos sua humanitate cepit, effecitque, non vt peregrina inter nos haberetur, sed vt longa familiaritate atque necessitudine nostris mulieribus videretur coaluisse: cum elucens ex obtutu gestuque propitia quaedam beniuolentia, eminensque ex sermone, licet blandissimo, sincera quaedam et antiqua veritas, eam praestaret hinc amabilem omnibus, hinc verendam, tum simplex fucique et ostentationis expers in cultu modestia, quem inaffectata potius mundities, et rectum ab ipso sensu iudicium (gustum frequentius nostra vocat aetas) quam sumtuosa, quae tot domus exhaurit, ambitio, conspiciendum faciebat, non haberet inuidiam, sed gratiam ipsi quamdam et decus, naturali venustati simillimum, circumfunderet. Quantum ab hoc tam nobili exemplo, tam amabili, exspectare boni poteramus? Nonne optabile erat, vt quemadmodum in arcibus ac templis quondam ponebantur summorum artificum praeclarissima opera, non tantum vt DIs sacrum esset, quod in suo genere putaretur praestantissimum; verum in primis vt diuinitatis illo et consecrationis nomine ab iniuria omni tutum publicae imitationi, ac nobili ingeniorum certamini esset expositum: sic HALLERIA in vrbe olim nobili, cui recidiuum decus conciliat academia, in splendido viri clarissimi matrimonio collocata, Phidiaci cuiusdam signi instar proposita esset, quam demonstraremus moribus et vitae tenore exprimendam iuni-

oribus, quam illae imitatae et honori parentibus essent, et maritis felicitati. Quantumuis ergo domum amarit suam HALLERIA, quantumuis sua se virtute inuoluens Deo et suo marito placere satis habuerit, hunc solum respexerit, ab hoc pependerit vnice; tamen publica est, vel hoc ipso nomine, quam in illius anima iacturam fecimus. Sed magis publica est, si maritum cogitemus bono et gloriae huius litteratae ciuitatis natum, et ita de salutari arte, ita de bona parte nostrorum ciuium, ita de genere humano et longa posteritate promeritum ac merentem hodie, vt quidquid ad illum pertinet, illud neque a ciuitate nostra, neque adeo a singulis nobis, alienum putandum sit. Sed hic profecto horret animus, et quasi refugit, cum cogitamus, quantum ipse collega noster boni amiserit. Quam oculatus ille et acer est in florum herbarumque tenuissimis tubulis, filamentis, puluiculis; in animatorum corporum intima compage, venis, neruis, fibris, earumque implexis intextisque sibi diuino artificio ambagibus perscrutandis demonstrandisque; tanta est illius acies in bonis ingenii perspiciendis aestimandisque. Si igitur verum est, quod nemo negat, pro modo intelligentiae nostrae vel amare nos, vel odisse; et prout vel multum vel parum boni in vnaquaque re videamus, ita nos ab ea ad amandum, gaudendum, iacturaque eius dolendum, incitari: consequens est, vt nemo bonis, quae nobis erepta querimur, magis laetari HALLERO potuerit, magis earum amissione iam cruciari. Qua quidem in re illud in primis tristissimum viro accidit, quod recens vulnus antiquam cicatricem refricat, et in vno funere geminum illi luctum obiicit, vt dum ELISABETAM

suam

ſuam moeret, tota denuo dolorum moles, ex MARIANAE quondam, immo nuper, ſuae diſceſſu concepta, quam exceperat felix ELISABETAE contubernium, vno in virum impetu iam irruat, et oppreſſionem illi, niſi Deus, quod ſperamus, ferat opem, minetur. Quartus iam annus decurrit, cum elata eſt e domo HALLERI MARIANA WYSSIA, talis femina, qualem tum ex hoc ipſo loco celebrauimus. Tres paullo minus annos in luctu et ſqualore fuerat, cum exoptatum inenarrabilis moeroris ſolatium inuenit in ELISABETA BVCHERIA, virgine tum omnibus generis, loci, ordinis ſui ornamentis conſpicua. Patre enim nata eſt IO. RVDOLPHO BVCHER, ſenatorii in illuſtriſſima Bernatium republica ordinis viro, aedilicioque, quem ceteris rebus florentiſſimum virum inſperatus de morte cariſſimae filiae nuncius quam perturbaturus ſit, facile eſt ad intelligendum, qui illam piiſſimam filiam, viduitatis ſuae perpetuum et maximum ſolatium, aegerrime a ſe, quaſi praeſaga tanti mali mente, dimiſerit; matre et ipſa BVCHERIA, fatis olim functa; auo paterno quaeſtorio viro; paterna auia ERLACHIA, iiſque maioribus, quorum in patria nobile meritis honoribus nomen et felix viget memoria. Edita in hanc lucem anno ſaeculi noſtri vndecimo, educata pie et pro fortunae indulgentia liberaliter, iiſque culta artibus, quae et ipſam et virum aliquando reddere beatiorem poſſent. Qualis ea fuerit, iudicare poſſunt, qui HALLERVM, eleganſque ipſius et acerrimum iudicium non ignorant. Conceſſit in illius vota actorum Bernae, Prid. Kal. Iun. cIↃIↃccxxxviiii *.

* Habemus fructum itineris illius Halleriani obiter collectum, *Iter Alpinum*, his ipſis menſibus in hac vrbe typis vulgatum.

Vix e complexu suorum non sine lacrimis discesserat, vix Francofurtum fuerat delata, cum fidei, et amoris coniugalis, prudentiaeque et constantiae, maiora quam ab imbecilla muliercula, patrium agrum vix vnquam egressa, exspectari poterant, aegrotanti marito praestitit, quae quidem res animos nouorum coniugum tanto firmiore quasi glutine coniunxerit necesse est. Laeta itaque et faustis ominibus amicorum, auditorum praesertim HALLERI, huc delata, et in domum mariti introducta est a. d. XXII. Aug., atque ab eo inde tempore earum virtutum, quas ante commemorauimus, illa documenta dedit, quae ipsam omnibus redderent suo merito cariſſimam; vt felicitatem, et reducem in domum HALLERI fortunam omnes agnoscerent, et lubentes merenti gratularentur. Augebat felicitatem collegae nostri, quod cum caeteram rem familiarem prudenter tractaret noua coniux, tum liberorum e superiori coniugio susceptorum pari suauissimo eum praestaret amorem, vt appareret, non nouercam illis inductam, sed eam matrem procuratam esse, quae omnes officii materni partes summa cura et veriſſimo affectu perferret. Quibus rebus omnibus, et quot decora ipsius necessario omittenda sunt? perfecit, vt in assidua illius suauissimaque consuetudine acquiesceret HALLERVS noster, omnesque in ea sola necessitudines, consanguinitates, affinitates inesse sibi putaret: receptoque illo, quem imminuisse aliquantum videbatur viduitas, vigore et alacritate, quam felix domi esset, vultu, corporis habitu, ac tota vitae ratione ostenderet, neque quidquam aliud mortalium rerum precibus a Deo peteret, quam perpetuam ac durabilem tanti tamque sufficientis sibi boni

ni possessionem. Iamque illud appropinquabat, cum et ipsa mater non iam moribus sed natura fieri deberet, et nouo maritum gaudio afficere. Imbecillam et tenerae valetudinis toto fere gestationis tempore fuisse, constat, ac de sinistri lateris dolore subinde conquestam. Sperabatur, cum partu, quidquid id esset molestiae, expulsum iri. Sed res aliter cecidit. Partu difficillimo periculosoque perfuncta est XX. die Iunii; puer tamen natus sanus, bellus, robustulus, et, quod sperare adhuc licet, vitalis, cui in lustrali sacramento aui materni praenomen impositum est. Non deerant, quae adsolent, quaeque oportet signa esse ad salutem. Sed latuisse tamen aliquid intestini mali, aliquot interiectis diebus ardores, inquies, insomnia, erumpens tandem miliaris purpura satis docuerunt: ad quae mala vel mitiganda obsequio, vel idoneis remediis expugnanda, cum nihil intentatum reliquisset HALLERVS eorum, quae alta illa naturae nostrae cognitio, et rerum medicarum scientia, quae ars illa multis saepe salutaris, nunc ab amore succincta et quasi instigata, subiicere poterat; tamen impediri nequiuit, quo minus in peius omnia ruerent. Neque tamen spes omnis decollauerat ante, quam inter confinia diei III. et IIII. Iulii subito terrore percussa adeo deficere viribus inciperet, vt nihil opis humanae supersesse videretur. Cum expertus esset HALLERVS, quanto MARIANAE quondam suae in limine mortis constitutae, quanto sibi solatio fuissent sermones venerabilis Collegae nostri OPORINI, rogauit, vt modo etiam suae ac sibi adesse, et de bono illo pectoris sui thesauro impertiri aliquid diuini muneris vellet. Quod ille tristis, sed

promto et cupidissimo animo praestitit, ac testatur, ipsam deiectis quidem prostratisque corporis viribus, integra tamen mente, in obsequio diuinae voluntatis tranquilla, atque ad spem beatae immortalitatis per IESVM CHRISTVM partae erecta fuisse, ac significasse, percepta a se, probarique sibi, quaecumque de naturae nostrae corruptione ac miseriis, de propitia Dei in nos voluntate, de salute per solum Dei filium consequenda, cum ipsa egerit. Quae si cum laudatissimae illius vitae rationibus ac tenore conferantur, dubium relinquunt nullum, quin sanctissima anima, quam vis morbi dicto die IIII. Iulii post horam pomeridianam tertiam fesso malis corpore expulit, ad beatarum mentium concilium, et in ipsum Saluatoris nostri vnici sinum translata, aeternis iam voluptatibus, nulla molestia dolore nullo interpellandis, fruatur. Cuius rei cogitatio vt perculsum optimi collegae nostri animum recreet et erigat, moestissimoque parenti, et auiae, quam tristissimus nuncius in illa imbecilla senectute ne exanimet metus est, tum fratribus sororibusque, quibuscum coniunctissime suauissimeque vixit, solatium firmum atque solidum praestet, liberis autem HALLERI nostri incrementa felicia Deus tribuat, ex animo optamus. Vos, illustrissime Comes, collegae honorandi, hospites colendi, carissimi ciues, hoc dabitis collegae nostro, et vestro in praeceptores vestros, immo vestro in virtutem ipsam amori, vt funus tam carae personae, quod

hodie hora III. ex aedibus Hallerianis in horto academico in aedem diui Albani deducetur,

praesentia vestra honorifica, amabilique modestia, condecoretis, *Gotting. a. d.* VII. *Iul.* cIↃIↃCCXXXX.

XXVII.

XXVII.

MEMORIA IVSTI CONRINGII,

EMDANI,

IVRIVM STVDIOSI.

Cum nulla fere in re consentiant homines, sed adeo in diuersa iudiciis pariter et studiis trahantur, vt tota illos specie differre, quibusdam visum sit: tum circa mortis vel metum vel contemtum discrepant mirifice; cuius rei, diuersitatisque adeo tantae, rationem indagare non dignum modo philosophi hominis curiositate est, sed non nihil quoque momenti ad rem publicam administrandam videtur habere. Quod si enim illa duabus rebus continetur, praemio et poena, quod a Solone inde inter ciuilis prudentiae doctores constat: si praeterea et poenae, locum mors, et vita praemii, vel maxime apud gentes omnes occupant: apparet, quantum interfit eius, cui poenarum et praemiorum administrationem commendauit respublica, scire, quam quisque de his rebus sententiam habeat. Breuiter, pro huius scriptionis ratione, vel disputandi de hac re fontes aperiamus, vel fundamenta indicemus, quibus aliquid ad ciuilem prudentiam non inutile inaedificari queat; hoc est, dispiciamus de cauſſis, ob quas mortem, rem naturae omnium animantium maxime terribilem, con-

temnere quidam non pauci, et vel aequo animo ſubire, vel appetere adeo, videantur. Incipiamus ab ima quaſi et contemtiſſima claſſe, licet ea numerò forte non ſit minima. Nempe ſunt, qui mortem non exhorreſcant ſtupore quodam, et inſcitia, qua prope ad pecudes accedunt, in quibus facultatem et vires ad repellendam aliquo vſque vel fugiendam vim ſibi illatam obſeruamus; metum, perturbationem, non obſeruamus. Scilicet ſunt etiam figura quidam potius quam mente humana praediti, quos non magnis praemiis in praeſentiſſimum non tam periculum mortis, quam mortem impellas. Neque enim multum in vita boni percipiunt, quia non cum ratione percipiunt, neque futuris rebus, de quibus ne cogitant quidem, anguntur. Hoc genus milites ſibi dari optant credo duces, quos vel vti canes, aut elephantos concitare in hoſtem, vel plane aggerum inſtar et vinearum opponere illi poſſint. Si tales natura non ſint, arte quadam ſtudent efficere, hinc potuum inebriantium variis generibus mentem loco mouentes, hinc clamoribus inſanis et vario tubarum, tympanorumque ſtrepitu obtundentes cum auribus ipſum quodammodo animum, et a periculi mortiſque adeo ſenſu ac metu auocantes: cui rei praeclare inſeruit horribile illud fulminandi ſonandique artificium, quod non aures modo obtundat, ſed fumo etiam offuſo proſpectum eripiat, portiſque velut obſtructis imaginem mortis metumque excludat. Sunt alii; quos durities quaedam, atque miſeria vitae contemtores lucis facit, quod non temere de Lacedaemoniorum illa artiſſima, ac dura ſupra modum diſciplina dictum eſt, nempe mirum haud eſſe, de tali vita conſeruanda parum illos laborare, in

qua

qua nihil sit, quod solicitare aliquem ad illam studiose retinendam debeat. Ac nescio an ex hoc fonte tum militum quorumdam fortitudo, tum illa mortis vota, quae Christianis etiam quibusdam interdum sancti cupidinis specie imponunt, ex aliqua certe parte deriuata sint. Illud quidem satis constat, vt viuendi pignora sunt felicitas, et bonus, vel in bona, vel in mala re animus, sic vel abiicere vitam facilius, vel aequo certe animo relinquere, quibus contra se res habeat. Diximus de eo genere, qui de his, quae post hanc vitam futura sunt, vel plane non cogitant, vel motu animi ita languido, qui in neutram partem aliquid valeat. Iam quanta vis sit earum persuasionum, quas habent homines de conditione sua post mortem, difficile est paucis verbis explicare. Quam quaeso potens fuit illa, quam splendida ac magnifica potius, quam vera appellatione, simpliciter *immortalitatem* vocabant, fama nominis et gloria? Si quis Graecas Romanasque historias legat paullo attentius, ille summa cum admiratione obseruabit, quam promto animo, quanta cum alacritate, non singuli modo homines, viri, feminae, sed cohortes etiam, quin legiones totae, praesentissimae se morti obtulerint, propositam sibi cum putarent illam, quam diximus modo, immortalitatem. Spes statuae post mortem obtinendae; sed quam paucis hoc potuit contingere? spes itaque honestae commemorationis, in magna etiam turba, in qua ne nomina quidem singulorum scribi vel recitari possent, sic tamen velut fanatico instinctu, et immisso diuinitus furore, agitabat homines, vt nec tela, nec ignes, nec vlla vis humana terrorem illis posset iniicere, vt in perniciem videntes prudentesque

teſque ruerent. Difficile eſt hunc locum modo attingere, et deſerere ſtatim, in quo tot ſunt eaque incredibilia pene exempla, in quo praecipua magnitudinis Romanae, vt olim Graecae, cauſſa ineſſe videtur. Exſtinxit illum laudis ardorem, retudit et hebetauit illos gloriae ſtimulos, eorum maxime ſtudium, qui verebantur, ne Chriſtianae modeſtiae illa obeſſent, qua in re nos veremur, ne vltra terminos quidam progreſſi, intemperie humano ingenio ſollemni, peccauerint. Certe illud conſecuti ſunt, quod volebant, vt gloriam illam, illud potentiſſimum quondam contemnendae mortis incitamentum, vanum nomen putarent homines, et vmbram nebulae: ſed in altero non aeque propoſitum tenuere, vti melioribus velut auſpiciis, et cauſis grauioribus metum mortis tollerent, ad egregia facinora, ſed eadem vehementer periculoſa, homines permouerent. Simile quid contigiſſe videmus, cum ſaeculo ſexto decimo ineunte eriperetur hominibus illa, ſuperſtitioſa ſane, de bonorum operum meritis opinio. Vbi illud hominibus perſuadere non fuit difficile, aedificandis et exornandis templis, aliiſque id genus largitionibus, quas *pias cauſſas* vocare mos inualuit, ad aeternam felicitatem nihil promoueri: vtinam perfici potuiſſet, vt, meriti opinione ſublata, tamen homines gratos ſe pro beneficiis Euangelii, publica illa liberalitate, et iis rebus, quibus mereri aeternam felicitatem fruſtra conati maiores noſtri fuerant, demonſtrarent. Ad contemnendam igitur mortem, eo enim redeundum eſt, potenter mouebat homines, et quoſdam forte adhuc mouet, immortalitas nominis, et intermoritura, vt ſperant, numquam gloria. Sed potentius mouere certe debebat,

bat, si homines semper suis ex sententiis vitam instituerent, vera illa, et minime in opinione aliorum sita, animorum immortalitas, siue Pythagorica, qua pro fati ac meritorum ratione, liberata ab vno corpore anima transit in aliud; siue altera Socratica, qua felicia quaedam sua domicilia separatae a corporea concretione mentes aeternum incolunt. Huius, quam Socraticam diximus, immortalitatis vim aliquantum minuebat adiecta illi dubitatio, quae tandem in bonis etiam viris in hanc disiunctionem exibat, aut bene mihi erit post obitum, aut nihil ero. Namque illud prius, si veteribus monumentis fidem habemus, incitauit quosdam, vti sponte sua, nullo vrgente in vita malo, mortem oppeterent, quo celerius nempe in illud Elysium, in beatorum illas insulas peruenirent. Posterius hanc certe vim habuit, vt non magis miseros putarent, qui non essent amplius, quam qui nondum fuissent: vnde mortis contemtum exsistere necesse erat. Hanc posteriorem rationem sequi videntur etiam, qui malorum quorumdam huius vitae impatientia mortem sibi consciscunt: et tota illa classis, quae nominis immortalitatem tam ardenti studio quaerit. Sed quanta hic est praerogatiua sanctioris illius sublimioriſque philosophiae, quam e sinu patris dominus ad nos noster Iesus Christus detulit? Potestne mortem non contemnere et irridere, qui illud domino nostro credit, eorum mentes, quas vera fides purgauerit, et diuinae naturae fecerit participes, ab ipso de suis corporibus discessu ad sinceriſſimae et inenarrabilis felicitatis fructum peruenire? Quantus hinc campus patet, si quis velit in sanctorum martyrum historias excurrere? Nos intra angustum continemur limitem,

mitem, et hoc tantum lectores noſtros admonemus, vt cogitent, primo quam beatum illum eſſe oporteat, quam tota vita tranquillum et ſerenum, quam obeundis cum periculo etiam magnis negotiis aptum, ſi quis a morte nihil aliud exſpectet, quam translationem ad pleniſſimam et nullo terminandam fine felicitatem? deinde quam praeclara illa foret, et quantum Platonis ciuitati praeferenda reſpublica, cuius ciues nihil niſi peccatum metuerent; mortem differrent quam longiſſime poſſent ſobrietate; obire autem eam vel neceſſitate naturae, vel pro republica et fide, nihil timerent? In hac demum ciuitate, ea qua modo diximus cauſſa, *ſummum nec metuas diem, nec optes.* Nam qui non metuit mortem, ille nec optandi temere rationes habebit. Haec de morte contemnenda diſputandi occaſionem nobis ſuppeditauit mors luctuoſa nobis & acerba generoſi et doctiſſimi iuuenis, IVSTI CONRINGII, ſua nobis, dum viueret modeſtia, doctrina, humanitate, non magis quam nominis & generis ſui commendatione cariſſimi. Tanta ſunt HERMANNI CONRINGII non in Iuliam modo academiam, ſororio nobis vinculo coniunctam, ſed in litterarum prope omnium ſtudioſos, remque adeo ipſam publicam, merita, vt ſi quis etiam nihil praeter illud adferat, tamen iam gratiae aliquid et commendationis habere videatur: plus vero, ſi illius etiam familiae pars ſit, e qua tantum boni exortum eſt. Iuuat hoc paullo repetere altius, et quae de CONRINGIANA nobis gente innotuerunt, huic tabulae committere, quae forte nobilium aliquot inter ſuos, obliuiſcendorumque numquam, virorum memoriam aliis etiam commendare, et ſpargere latius, diutiuſque ſeruare poterit.

Primum

Primum itaque satis constat, quicquid est in orientali Frisia Conringiorum, ortos omnes esse a IOANNE GONRINGIO eo, qui per turbas saeculo sextodecimo de religione commotas patriam, Drentiam, Transisalanae Belgarum prouinciae partem, in qua Coenring * arx hodie quoque nomen gentis retinet, reliquit, sedemque fortunarum suarum Nordenam, quod Ostfrisiae est oppidum, contulit, vbi senatorio honore functus florentissimae gentis auctor factus est, cui immortale decus conciliauit HERMANNVS ille, IOANNIS ex HERMANNO filio nepos, lux non generis modo sui, non Iuliae tantum academiae, non Germaniae, sed orbis, qua litteris Latinis cultus est, terrarum. HERMANNI τοῦ πάνυ fratrem fuisse accepimus ** proauum nostri HAYONEM CONRINGIVM, curiae principalis in Frisia orientali assessorem, et propraefidem. Huius itaque filius fuerit auus nostri IVSTVS CONRINGIVS, ICtus, regis Borussorum a consiliis, Africanae, quae tum Emdae erat, societati adscriptus, et ordinum Frisiae orientalis summus arcarius. Hic ex ALAGONDA, OTTONIS SCHINCKELII, consularis in Emdana republica viri, filia, emendatissimi ad exemplum moris femina, praeter WARNERVM IVSTVM, I. V. D. et curiae principalis in Frisia orientali assessorem iam fatis functum, et

* GOEBELIVS in nota vitae H. Conringii adiecta.

** Ex sermonibus IVSTI dum viueret nostri. Sed in scripto nobiscum communicato HAYO *atauus* nostri vocatur: quod nomen festinatione quadam pro *proauo* positum, etiam inde suspicamur, quia *proaui* mentio, si HAYO atauus est, plane fuerit omissa. Sollicitudinem nostram in scripto publico aegre nemo feret: errorem, qui possunt, emendabunt.

et viuentes adhuc vtinamque diu victuros, IVSTI noſtri patruos, ANDREAM, Groningenſis ciuitatis ſenatorem, prouinciaeque totius vrbis et agrorum nomine legatum, ſiue vt loquuntur *ſtatum deputatum*, atque FEICONEM BERNHARDVM, rei nauticae apud Harlingenſes praefectum extraordinarium; praeter hos inquam genuit IVSTVS CONRINGIVS patrem IVSTI noſtri OTTONEM, virum et aliis decoribus conſpicuum, et iuris non vulgari peritia, cuius egregium ſpecimen *de vnico matrimonii ſcopo*, praeſide PAGENSTECHERO, in Groningenſi academia dederat. Is paternam prouinciam ſupremi arcarii ordinum Friſiae orientalis cum ornaret, et praeclare de patria ſua mereretur, immaturo fato rei publicae et ſuis ereptus eſt, cum ex LAMMA GESINA illuſtris et magnifici viri, IACOBI de POTTERE, I. V. D. Borruſſorum ſocietatis Africanae, quae Emdae fuerat, conſiliarii et directoris, conſuliſque Emdani, filia, cognominem auo IVSTVM noſtrum ſuſcepiſſet, de quo ſtatim dicemus, cum materni etiam generis quaedam decora commemorauerimus. Patrem LAMMAE GESINAE POTTERIAE, auum IVSTI noſtri, modo diximus. Addendum hoc eſt, generoſam feminam poſtea in matrimonium conceſſiſſe DIDERICI BEECKMANNI, collegii quadragintauiralis apud Emdanos praeſidem, praeclare de illo honore et patria adeo ſua meritum, in eoque matrimonio fatis conceſſiſſe: IACOBVM de POTTERE autem, auum noſtri, antiquae apud Brabantos nobilitatis virum, ex tertia coniuge AGNETA MENNINGA praeter filias plures, noſtri materteras, etiam filios ſuſcepiſſe duos, quos auunculos noſter veneratus eſt, alterum IOANNEM de POTTERE, I. V. D. et conſulem

Emda-

Emdanum, reipublicae et ſuis ipſum quoque immaturo fato ſubtractum, ſed viuentem in filiis, generoſis iuuenibus, IBELINGO GVILIELMO, et IACOBO de POTTERE, qui cum maxime in hac academia ad doctrinae et virtutis exempla familiaria ſe nobili quadam aemulatione componunt, amitini autem fratris mortem pio luctu proſequuntur; alterum ſuperſtitem, et conſulari apud Emdanos munere hoc ipſo anno fungentem, illuſtrem et magnificum Virum, IACOBVM de POTTERE, cui ſecunda omnia comprecamur. Haec de gente generoſi, quem lugemus, iuuenis in eorum gratiam commemorare viſum eſt, qui hunc ciuicae quoque virtuti honorem habendum putant, vt nomina bene meritorum de rep. virorum diligenter conſeruentur *. Iam IVSTI noſtri vitae rationes et mortem breuiter enarremus. Natus eſt Emdae a. d. XVII. Septembris A. R. G. cIↃIↃCCXX. et poſt domeſticae educationis curam ſapientem et ſollicitam publicis ſcholae patriae doctoribus traditus, rectori DECKERO, et ADOLPHO conrectori; poſtea in Hieronymianum, quod Vltraiecti floret, gymnaſium miſſus, fideique doctiſſimi viri, Io. FRID. REIZII, qui magna cum laude gymnaſium illud regit, traditus, tum publica tum priuata illius opera ad exquiſitiorem humaniorum litterarum cultum inſtitutus eſt feliciter: quae res fecit, vt cum auctumno anni cIↃIↃCCXXXVIII. huc delatus eſſet, tanto celeriores haberet in optimarum rerum doctrina percipienda progreſſiones. Au-

* Qui *Lexico eruditorum* vtuntur, hoc programmate moniti emendare poterunt, errorem circa patriam H. CONRINGII in eo commiſſum. *Tranſiſalana* viri patria eſt, *Ouer-Yſſel*, non *Tranſiluania*, *Siebenbürgen*.

diuit autem *logices* et *iuris naturae* pracepta excellentissimi KAHLII nostri, *iuris naturae* etiam illustris TREVERI. *Historiam* tum *vniuersalem*, tum illam *imperii Romano-Germanici*, excellentissimo KOELERO praeeunte cognouit; mox toto pectore largum iurisprudentiae non fontem sed flumen hausit; quod vt felicius succederet, prius *iuris historia* ab illustri GEBAVERO imbutus est, a quo etiam *Iustinianeam institutionem* accepit. *Iustiniani institutiones* etiam HANNESENIO interpretante pertractauit: ab eodem *Pandectarum doctrinam* sibi tradi voluit: vt a nobilissimo iam doctore WRISBERGIO *Iurisprudentiam Struianam*. Diligentissimam etiam operam nauauit illustri SCHMAVSSIO *iuris publici* placita proponenti. Hoc ipso semestri spatio *Pandectarum* denuo curriculum in REINHARTHI auditorio ardenti studio ingressus est, vt et *iuris canonici*, quod apud ill. AYRERVM iam emensus fuerat, ac *iuris criminalis* in acroaterio excellentissimi BOEHMERI. Inter haec seueriora nec *linguarum hodiernarum* studia intermisit, sed diligenter potius feliciterque coluit. Animum *musica* suauitate recreare, corpus autem *saltandi* et *armorum* vibrandorum exercitatione agilius, salubrius, robustiusque facere solitus est. Quae ipsa viuendi ratio, bonis in rebus semper occupata, et generosum illud honestum, quod ex maioribus in illum transfusum esse videbatur, et virilis quaedam constantia atque grauitas, Deo suis muneribus fauente, a corruptione illa satis frequenti in illa aetate, tutum praestabant IVSTVM nostrum, vt non sperare, sed confidere posse videremur, dignum suis maioribus, dignum florentissima familia, dignum Conringiano

giano nomine futurum. Sed aliter nempe visum Deo est. In medio doctrinae et virtutis cursu inuadit illum morbus ille, quo bona pars humani generis aufertur, infantibus sollemnis, tanto periculosior fere adultis, varioli: inuadit a. d. XXV. Nouembris. Aduocatur excellentissimus BRENDELIVS noster, isque propter grauitatem morbi adsciscit sibi consilium illustris RICHTERI. Reliqua ipsius BRENDELII verbis persequemur. „Variolis prehensus confluentibus, cum febrem primam commode tulisset, quantum licebat, experstus est febris secundae violentiam, magna cum „rerum commutatione plerumque coniunctam. „Nam per eius initia, comate graui, quod carus „excepit, alterum in diem oppressus, papulis vici„nae mortis indicia prae se ferentibus, vespere „diei septimi, quam praesagos mali dolores capi„tis lumborumque persensserat, repente suffocatus „exspirauit". Saepe audierat noster, cum summo saepe vitae periculo morbum hunc esse coniunctum. Quo magis id agebat, ne imparatum se mors opprimeret. Quare, quod sanus et incolumis agere diligenter solebat, vt et doctrinae caelestis capita ex publica ecclesiae suae formula repeteret, et scripturae sacrae oracula animo suo admoueret, ad eam rem contubernalis sui, quem studiorum suorum socium et adiutorem adsciuerat, opera et voce vtebatur, numquam suauius, quam in Dei verbo se fassus adquiescere. Quae quidem res, et totus vitae apud nos actae tenor, et diuina misericordia, certam nobis spem faciunt, illo etiam tempore, cum subita vis morbi sensuum ministeria turbasset, vt neque

ipſe, quid vellet, exponere, neque alienae vocis ſententia ad animum ipſius peruenire poſſet, Spiritus illius Paracleti beneficio illum fruitum, et eliſam denique morbi importunitate animam ad ſanctarum mentium concilium per Ieſu Chriſti merita adſumtam. Factum illud a. d. II. Decembris inter horam VIIII. et X. veſpertinam. Quod mortale fuit IVSTI CONRINGII in aede academica mox depoſitum eſt. Supereſt, vt funeris honorem illi habeamus, quem virtus ipſius et modeſtia ampliſſimum meruit. Dictus ei rei eſt *dies* XXIII. *Decembris*, *hora* II. quo ſacra exſequialia illi in laudata modo *aede Paullina* habebuntur, quam caerimoniam vt illuſtriſſimi comites, patres academiae, hoſpites honorati, condecorare velint, hac ipſa tabula interprete honorifice inuitantur. Vos, ciues cariſſimi, vel veſtra ſponte, vel a nobis amanter admoniti, frequentia veſtra et modeſtia declarabitis, quam cara vobis ſit commilitonis optimi memoria. Ite igitur exſequias CONRINGIO, et vos mortales eſſe, et incertiſſimam mortis horam eſſe, vel hoc exemplo moniti, magna cum ſalute veſtra cogitate.

Gottingae, a. d. XXII. Decemb.
cIↃIↃCCXXXX.

* *

XXVIII.

MEMORIA HENRICI CHRISTIANI DE REINECK,

MENGERINGHVSANI,

IVRIVM STVDIOSI.

Funus indicendum cum esset iuuenis generosi, et sua nobis virtute carissimi, cogitatio subiit animum nostrum, quae cum forte aliis quoque, vobis quidem certe, ciues carissimi, prodesse queat, eam hoc libello consignandam putauimus. Cultum est ab aliquo inde tempore Anglorum quorumdam, GRAVNTII praesertim, DERHAMI, et PETTYI studiis, genus *arithmeticae*, quam *ciuilem*, puto, vocant, vbi consideratis censualibus quasi tabulis, diptychisque nascentium ac morientium, quorum aetas quoque et genera mortium annotantur, plura inde probabili ratione concludunt vel incognita antea, vel quae firmari his ipsis obseruationibus possint. Vt est gens nostra peregrinae laudis omnis aemula, ita hoc quoque studium arripuit, et SVSSMILCHII * inprimis opera non modo vindicauit sibi, sed vltra quam a quoquam factum erat, protulit. Nobis illud praeter cetera memorabile vi-

* IO. PETRI SVSSMILCHII *die göttliche Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechtes, aus der Geburt, Tod und Fortpflantzung desselben*, Berlin 1741. 8vo.

visum, quod ad nuntium de morte generosi Reinecii nostri in mentem redibat, tenebatque aliquamdiu animum: eo aetatis gradu, quo ille defunctus est, hoc est, intra decimum et vicesimum aetatis annum, non quidem induciae cum morte sunt, sed in rationes Libitinae veniunt, comparatione ad totum genus mortalium facta, pauciſſimi. Cum enim dimidia pars hominum ante quam viuere se sentiat, id est, suarum sibi vel actionum vel voluptatum vere conscia sit, ante quintum aetatis annum, e vita discedat, (vti nimirum fructus arborum vel cum flore, vel vbi vix defloruerunt, aequa minimum, si non multo maiori ex parte interire solent) tum deinde eo, quod diximus, interuallo ex multitudine illa hominum vltra comparationem maiore, non temere plures obire solent, quam de summa paucitate eorum, qui post Mosaicam illam metam, post octogesimum vitae annum, adhuc viuunt *. Ac pauciſſimos post illum terminum mori, mirum non est, cum pauciſſimi ad eam aetatem viuendo perueniant: sed, quod multo pauciores sunt, qui intra eos, quos diximus annos diem suum obeunt, quam qui vel ante eam aetatem, vel post illam, vsque ad annum circiter octogesimum fato concedunt; quodque adeo haec aetas omnium minime moriendi legi obnoxia est, illud consideratione vtique dignum videtur. Ac naturales quidem eius rei causas nunc vestigare non libet, etsi forte aliquas illarum assequi non sit nimis difficile: verbi gratia, quod praecedens aetas ob ipsam corporis teneritatem tanto iniuriae omni magis exposita est, quanto ortui est propior; sequens autem,

* Svssmilchivs l. c. p. 122.

tem, vel praecedentis intemperantiae poenas luit, vel naturaliter post aliquam durationem prona ad interitum est. Illud modo iam considerari velimus, videri id ipsum ita machinatam esse conseruatricem generis nostri prouidentiam, vt ea maxime aetas minus mortem metueret, maiores viuendi spes haberet, quae futurae, si qua sit, vitae in primis debebat prospicere, et viuendi cum dignitate ac suauitate praesidia comparare. Quam animose pueri atque adolescentes, quam laboriose, vel in opificum officinis, vel in scholasticis stadiis rem gerunt? quam studiose conducunt sibi aliisque reliquo vitae tempore profutura? illis nempe decem circiter annis horrea velut constipanda sunt, et comparandi thesauri, e quibus deinde quae opus sunt depromantur. Hanc ergo aetatem non nimis saepe turbari aequalium funeribus, et a vitae spe ad mortis metum traduci, gubernatrici rerum prouidentiae placuit. Quod igitur bonae spei et alacritatis cuiusdam pleni sunt adolescentes, in quo principem illius aetatis caractera, id est, notationem, Aristoteles collocat; quod in Laconum illa Trichoria canunt, se senum pariter et virorum saeculo praestantiores futuros *; quod eam ipsam ob spem strenue et indefati-

* *Nota est ex* PLVTARCHI *Lycurgo p. 96. H. Steph.* Trichoria Laconum in qua canunt

Senes, Ἄμμες πόκ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.
Viri, Ἄμμες δὲ γ' εἰμὲν, αἰ δὲ λῆς πεῖραν λαβέ.
Adolescentes, Ἄμμες δὲ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κἀρρόνες.

Latinis versiculis ita forte reddas, vti dicant:

Senes, Nos olim eramus strenui factis viri:
Viri, At nos modo sumus: placet experirier?
Adolescentes, Longe at meliores nos habebit ciuitas.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0091
DFG

gabili industria rem gerunt; earum rerum non postrema ea caussa esse videtur, quod suam aetatem non ita vti ceterorum morti vident obnoxiam, quod inter conferta infantum funera, inter numerosas virorum atque senum exsequias, se velut interiectos, tutiores mortalibus reliquis a communi illo generis nostri hoste arbitrantur. Verum enim vero ne in securitatem degeneret illa fiducia, a caelesti item prouidentia cautum est. Monent subinde adolescentium quoque aetatem suorum mortes aequalium, non esse illud fedus, ne inducias quidem, cum morte initas, non esse se communi mortalitatis lege solutos, verum incerta tamen hic etiam omnia, et vniuersorum certe nomina ac sortes in fatali illa vrna versari, prudentiaeque adeo esse, vt in statione quisque sua et praesidio vigilet, ne ipse, inter paucos licet, ad summam infelicitatem subito abripiatur. Monet vos praesertim, commilitones, funus, quod ista commentandi occasionem praebuit *generosi doctissimique iuuenis*, HENRICI CHRISTIANI DE REINECK, *Mengeringhusani*, qua in vrbe natus est a. d. XXIIII. Maii A. cIↃIↃCCXXIII. patre generoso atque illustri viro, CONRADO HERMANNO DE REINECK, sereniss. Waldecciae principis a consiliis regiminis et consistorii, de quibus muneribus suis praeclare et magna cum reip. vtilitate meretur; matre autem, iam anno saeculi XXXI. pie defuncta, DOROTHEA WILHELMINA SOPHIA SIMSONIA. Horum cura, adhibitis idoneis praeceptoribus, et religionis elementis, et generoso honesto, et litterarum ac doctrinae initiis, diligenter imbutus, anno saeculi XXXVII. etiam in Wildungensem scholam missus est, vbi tum alias litteras,

ras, tum eruditum illum, vt veteres loquebantur, pulluerem, hoc est, geometriae principia, praeeunte docto viro SIBICKERO, scholae illius rectore, tractauit accurate ac feliciter. Auctumno anni superioris domum reuocatus ibi historiarum et iurisprudentiae fundamenta accepit a viro doctissimo, CAROLO FRIDERICO CHRISTIANO BECKERO, cognato suo, quem nuper summis iurisprudentiae honoribus, post pulcre edita specimina ornari apud nos, commilitones, vidistis. Verno huius ipsius anni, eodem viro doctissimo comitante, in academiam nostram delatus, haec etiam curricula studio alacri nec infelici ingressus, institutione Iustinianea ab ill. GEBAVERO, nostro, Romanae antiquitatis cognitione a GESNERO, logicis autem praeceptionibus ab excell. KAHLIO auctus est, qui omnes assiduitatem ac modestiam REINECCII nostri vehementer commendant. Nec segnius noua spatia circa sacrum Michaëlis exorsus est, laudatique modo GEBAVERI publicas interpretationes in *Taciti Germaniam*, tum KOELERI historicas praelectiones, BECKERI autem sui repetitiones Iustinianeas, methaphysicas denique recitationes, et exercitationes stili Romani a M. GOETZIO institutas, qua solebat industria sectatus est. Neque cuiquam dubium videri poterat, illum isto ingenio, isto studio, magna operae pretia facturum, vtilissimamque reip. aliquando operam nauaturum esse. Verum aliter Deo visum. Referamus morbi mortisque historiam verbis illustris RICHTERI nostri.

„Morbi initia inter aluina tormina ingruebant. „Quibus medicina purgante cum olim obuiam iuisset „aeger non sine leuamine, iam ad eamdem confugit,

„at dolorum ſpasmorumque atrociam ab eius vſu in-
„ualeſcere ſenſit. Die XXVIII. Nou. adflictis eius re-
„bus conſulere iuſſus, ea, quae in artis poteſtate erant,
„contra ancipitem morbum ilei forma incedentem ob-
„tuli. Quae quamuis ab initio non omni ſucceſſu
„carere videbantur, intra paucos tamen dies abdomine
„vehementius tenſo motuque inuerſo periſtaltico ad
„vomitum, cum quo lumbrici aliquot eiicerentur,
„crebro compellente, coepit vitalium organorum
„actio ita ſtatim opprimi, vt cor pulſu vix ſenſibili
„trepidaret, anima citiſſimo et anxio anhelitu trahere-
„tur, ſudores frigidi diffluerent, et animi deliquia ſae-
„pius orirentur. Inter haec mala exhauſtus aeger vi-
„ribus die II. Dec. hora III. pomerid. occubuit. Inde
„cum vermium inteſtina ſubinde perterebrantium et
„nato hinc aſcite perimentium ſuſpiciones animo meo
„inhaererent, exſanguis corporis praeſente tantum col-
„lega coniunctiſſimo I. E. Brendelio incidendi at-
„que inſpiciendi poteſtatem petii et facile impetra-
„ui. Vidimus ex perforato ileo plures menſuras
„corrupti ac ſtercorei liquidi totum abdomen imple-
„uiſſe, natum praeterea obicem in inteſtino colo
„tranſuerſo, quod vix digitum ſine vi admitteret, al-
„uum occluſiſſe, in ventriculo vero, ne de reliquis
„inteſtinis dicam, ingentem tetri liquidi ſaburram cum
„incredibili vermium adhuc viuentium copia delituiſ-
„ſe. Siue ingentes ſpaſmos a tanta irritatione in ven-
„triculo natos, ſiue colluuiem illam tenſi abdominis,
„ſiue reliqua conſideremus, apparet abunde funeſti
„exitus ratio, et oppreſſarum virium cordis et pul-
„monis neceſſitas.

In

In hac re cum reliqua ſapientis et Chriſtiani patris ſolatia habet illuſtris pater, et qui praeterea hanc mortem lugent, tum illud in primis, quod vt alias quotidie, ita per huius praeſertim morbi occaſionem ſeria mortis cogitatio a REINECCIO noſtro ſuſcepta, et BECKERO, quem laudauimus illam alente atque fouente, verbis praeſertim *Ieſaiae LIII. 5. ſqq.* materiem praebentibus, diligenter continuata eſt. Quae cum ita ſint, certam animis ſpem concipimus, ad beatas caeleſtium animorum ſedes, IESV CHRISTI meritis receptum iuuenem optimum, felicitate frui, quae facile ſpem aliam, quam de ſe praebebat, quaeque nunc euanuit, compenſare, et conſolari luctum noſtrum poſſit. Veſtrum eſt, ciues optimi, honorare commilitonis veſtri memoriam funeris etiam pompa obeunda, quae ducetur hoc die VI. Dec. hora II. ex aedibus Beckerianis in templum D. Iacobi: quam pompam vt illuſtriſſimus etiam S. R. I. Comes, et quidquid in hac vrbe virtutem et litteras amat, ornare velint, peramanter rogamus. Gottingae d. VI. Dec. cIↃIↃCCXXXXI.

* *

XXVIIII.

MEMORIA ERNESTI IOANNIS MEELBAVM,

LONDINENSIS,

IVRIVM CVLTORIS.

Nudius sextus cum funus desiderati nobis iuuenis indicendum esset, ante vicesimum aetatis annum defuncti; visum est de illa obseruatione breuiter agere, qua animaduersum est, pauciſſimos oppido mortales illo vitae decennio, quod vicesimus annus finit, diem suum obire. Tanto magis animum feriit nuncius, de nouo damno, quod in anima cari nobis virtute sua commilitonis, in eadem plane parte curriculi vitae suae tum naturalis tum Academicae inde euocati, feciſſe narrabatur academia. *Invidiam fortunae, fati, Deorumque* adeo, quorum prouidentia fatum facit, et fortunam, accusare solebant gentiles, non poëtae modo, sed et, qui philosophari sibi videbantur, nonulli, si quid tale accidiſſet, hoc est, si laudata felicitas conuersionem aliquam, aut imminutionem certe, passa esset; in primis vero si praematuro funere adolescens forma, virtute, spe praestans, efferretur. *Ab inuidia fortunae se redimi* posse sperabat Polycrates [a], abiecta in mare gemma summi pretii. A poëta nimis plerumque philosopho [b] accusatur *inuida*

a) PLIN. XXXVII, 1. s. 2. b) LVCA. I, 70.

uida fatorum series: item *sors inuida* [c], ipsorumque adeo *Deorum inuidia* [d]: ab ipso Seneca [e] *fortuna viris inuida fortibus.* Increpat Papinius [f] *inuida fata piis.* Seruius [g] *fortuna*, inquit, *quae piis inuidere consueuit.* Ne miremur Catilinam [h] dicere, si *virtuti vestrae* (sic vocat gregalium suorum scelus) *fortuna inuiderit.* In primis autem immatura funera qui lugerent, de *inuidia deorum et fortunae* solebant conqueri. Sic Aeneas Maronis [i] Pallantem iuuenem lugens, *tene*, inquit, *inuidit fortuna mihi?* In formosae adolescentulae tumulo scriptum [k], *egregium illius decus inuidiam meruisse Veneris.* Quin Christianus poëta [l] de adolescentis praeclari parentibus,

Gaudebant, inquit, *trepido praesagi corde parentes,*
Dum metuunt tanti muneris inuidiam.

Quam sit antiqua illa ratio inuidiae postulandi Deos, satis docet Herodotus [m], apud quem ait Solon, cum rationem reddit, cur Croesi adhuc viuentis praedicare felicitatem nolit, *se nosse*, *omne numen inuidum esse et turbulentum:* simillimisque verbis, ad Polycratem Sami tyrannum, nimis fortunatum, vtitur apud eum Amasis [n] cum indicat, cur suspecta sibi sit magna illius felicitas. Quid dicitis, viri sapientes? Inuidia laborare

c) Id. IIII. 503. d) Id. IIII, 244.
e) *Herc. fur.* 524. f) STAT. *Theb.* X, 384.
g) Ad VIRG. *Aen.* VIIII, 214.
h) apud SALLVST. *Catil.* 58. *extr.*
i) *Aen.* XI, 43. k) CLAVDIAN. *Epigr.* 41.
l) PAVLLINVS *Panegyr. de Celsi obitu v.* 30.
m) I, 32 ἐπισάμενόν μι τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες.
n) L. III. 40. Ἐμοὶ δὲ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι ἀπ' ἀρίσκασι, τὸ θεῖον ἐπισαμένῳ ὡς ἐστι φθονερόν.

borare Deum? Quin vos Platonem veſtrum auditis, multo dignius de conditore vniuerſorum dicentem o), *bonus nempe fuit: in bono autem nulla vnquam quacumque in re exſiſtit inuidia.* Abſit ergo inuidia a Deo, a fato, a fortuna. Scilicet neque hoc ſibi voluiſſe arbitramur viros alioqui ſapientes, vti impingerent Deo crimen, quo neque in hominem cadit deteſtabilius. Non tribuere ſe putabant Deo vel *dolorem ex bonis alienis*, vel *malignitatem quandam, bona aliis ea tantum cauſſa ſubtrahentem, vt ex illorum dolore voluptatem ipſa capiat.* Non acceperunt, vt ſcholaſtice loquamur, inuidiae nomen *pro affectu*, ſed *pro effectu*, ea fere ratione, vt *caeli* et *aëris* et *temporum iniuriam* videmus ſaepe dici, vt de lunae defectu vetus poëta p):

Quippe illam lucis egentem
Lux aliena fouet, quam cum pars proxima metae
Inuidet, expectat radios male caerula fratris.

In quibus non animus, non conſilium, non voluntas nocendi ſpectatur, ſed ſolum quid fiat indicatur, illic quidem cauſſis naturae neceſſitate agentibus; in Deo autem ſapienti conſilio, et bonum ſemper aliquid propoſitum ſibi habente: licet quibuſdam ſubducatur, aut eripiatur, quod pro bono ſuo habebant, quod iniuria ſibi eripi, per ſuam ſtultitiam, ſibi adulantem, primo praeſertim aeſtu triſtitiae, arbitrantur. Fuerit itaque *numen inuidum* Herodoti diuina iuſtitia, in quantum vel ſuperbos felicitate ſua, et fortuna elatos, con-

o) In TIMAEO *c.* 14. *vnde repetit* PLVTARCHVS *de fato*, *p.* 573, C. Ἀγαθὸς ἦν· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς οὐδέποτε περὶ οὐδενὸς ἐγγίνεται φθόνος.

p) *Catalect. p.* 240.

conſequente et velut naſcente ex ipſis illorum vitiis calamitate, euertit; vel moderate etiam ea vtentis viciſſitudinem tamen illam, rebus noſtris naturalem, et illi, quam elegit Deus, rerum ordini conſentientem, cogit ſubire. *Inuidiam fatorum*, quam in adoleſcentium funeribus accuſabant intelligamus diuinam prouidentiam, naturae rerum ſapientiſſime a ſe conſtitutae gubernatricem, cum ea facit optimo conſilio, quae peſſimi homines inuidia facere, euentu non nunquam ipſis reſpondente, conantur. Haec prouidentia eſt, quae nobis eripuit commilitonem optimum, de cuius iam vitae mortisque rationibus, quae nobis innotuere, proponenda ſunt.

ERNESTVS IOANNES MEELBAVM, nobiliſſimus doctiſſimusque iuuenis, natus eſt a. d. $\frac{15}{26}$ Auguſti, A. R. G. cIↃIↃCCXXIII. Londini, patre Ioanne Chriſtophoro, qui tum in interioribus cancellis regiis ſcriptum faciebat: matre, quae ſuperſtes filium acerbe luget, MARIA APOLLONIA TEVFFELIA, Onoldina, qua ex vrbe CAROLINAM diuam olim ſecuta, aulico ab eo tempore miniſterio fungitur, et nuper adeo, Caſſellas euocata ad officium celſiſſimae principis regiae, CAROLINAE filiae, hoc velut munus a fortuna habuit, vt obiter filium, erepti mariti ſolatium, amplecti, quem diu non viderat, viſura vltimum, poſſet. Nempe nondum bimulus erat MEELBAVMIVS noſter, cum Hannoueram translatus eſt ex Anglia, apud auiam educandus, quae, vti et litteris et moribus optimis imbueretur, cura omni eniſa eſt. Frequentauit igitur ſcholam publicam, in eaque tantum profecit ingenii bonitate, et ſtudio alacri, vt vere huius anni bona cum ſpe et fauſtis

ſtis auſpiciis in hanc bonarum mentium officinam mitteretur, in qua cum ad iurisprudentiae ſtudia appuliſſet animum, ſtatim ad primarium anteceſſorem, Illuſtrem GEBAVERVM noſtrum, ſe contulit, traditamque ab illo tum hiſtoriam iuris, tum Iuſtinianeam inſtitutionem, cupide arripuit, rationalis autem philoſophiae praeceptis a M. GOETZIO auctus eſt. A Michaelis inde ſacro remetiri eadem ſtadia, vt ſecurius poſtea progrederetur, conſultum iudicabat, itaque laudatum GEBAVERVM Inſtitutionum iuris cauſſa, illuſtrem REINHARTHVM autem Struuianae iuriſprudentiae gratia, frequentare coepit, logicamque apud M. STROHMEIERVM repetere, quam diu per valitudinis rationem licuit. Non diu autem licuit. Dicemus reliqua verbis Excellentiſſimi BRENDELII noſtri:

„Aduocatus ad Meelbaumium ineunte Nouembri, „die quinto, quam lectulo carere non potuit, acute „febrientem deprehendi, cumque continua quotidia„na conflictari, poſtridie intellexi. Cuius cum defer„buiſſent acceſſiones, diebus circiter viginti, et in „propinquo eſſet ſpes integritatis, portenderentque „ſalutem, obambulandi facultas quotidiani incremen„ti, et multa bona ſigna: firmam eſſe incolumitatis „fiduciam, & octiduana diutiorem non ſiuit noua fe„bris. Haec miliaris fuit, et moris maligni, dieque „decurſus ſui nono infelici petechiarum ſtipata ſatelli„tio, et naturam et ſtudia et remedia vicit, afflictae„que finem vitae die quinto decimo fecit.“

Erat ille dies decembris VIImus, hora autem veſpertina decima. Ceterum, qui curam aegroti habuere, laudant dignam Chriſtiano homine tolerantiam,

tiam, obsequio diuinae voluntatis nixam, metumque mortis spe vitae melioris, a Iesu Christi meritis pendente, pulsum: quae bona sanctissimis Eucharistiae pignoribus, venerabili APPVHNIO administro, paullo ante obitum firmata atque aucta sunt, atque spem nobis eam faciunt, quae dolori adflictissimae hoc casu matris consolando sufficere videatur. Vestrum est, commilitones carissimi, vt nouo exemplo admoniti serio cogitetis, nihil vsquam, nullamque adeo aetatem, licet omnium alias minime morti obnoxiam, satis tutam esse mortalibus, nec aliud contra mortem firmum satis adolescentibus etiam, quam in Saluatoris vulneribus perfugium. His indulgendi cogitationibus occasionem vobis exsequialia sacra praebebunt, hoc ipso die hora IIda in aede D. Iacobi habenda, in quam pompa ex aedibus Mulleri sartoris, in Iudaeorum platea sitis, deducetur. Hanc pompam, haec sacra, vt etiam illustrissimus Comes, et quibuscumque haec tabella tradetur, frequentes obire velint, humanissime rogantur. Gottingae a. d. XI. Dec. cIↃ IↃ cc xxxxi.

* *

XXX.

MEMORIA GOTTLIEB SAMVELIS TREVERI.

Est ea rerum iucundarum ratio, vt quantum praesentia sua voluptatis attulerant, tantumdem suo discessu efficiant doloris, adeo vt veluti mensura quaedam alterum alterius esse, intelligique amissae voluptatis modus ex ipsa, quae eam sequitur, molestia possit. Ex illo fonte est vafrum illud epigrammatum poëtae praeceptum, qui nos vt *doleamus minus*, *minus iubet gaudere.* Vtinam non eo illud exemplo inter nos sanciretur, quod longissime remotum cupiebamus omnes; vtinam non lugeremus virum praeter alia decora sua, nostra bona, vnum iucundissimum, de quo vere praedicari poterat, illum quocumque adueniret, alacritatem, hilaritatem, liquidamque et sinceram quandam voluptatem, secum attulisse. Sed haec prima tantum facies est, sub qua nobis occurrit et obuersatur vir, dum viueret sua dignitate, et apud posteros gloria meritorum illustris

Gottlieb Samvel Trevervs, I.V.D. augustissimi regis M. Britanniae a consiliis aulicis, in academia hac iuris publici, et prudentiae ciuilis, totiusque morum philosophiae P.P.O. inclutae societatis Berolinensis, nec non eius, quae Teutonicas apud nos litteras colit, sodalis. Quanta in eo iactura facta sit, melius

melius intelligetur, si vitae ipsius rationes ordine persequamur: quod iam non prout merebantur praeclara viri de virtute ac litteris merita, sed pro praesenti copia, non satis illa expedita, faciendum est. Digna est gens TREVERIA, vt origines illius paullo repetamus altius. De patre nostri, GOTTLIEB TREVERO statim dicemus. Huius pater, auus nostri GOTTHILF, Bessecauiae, quod Lusatiae inferioris oppidulum est, magistratu functus, vxorem habuit MAGDALENAM, cuius MAVRICIVS HOFMANNVS frater, Altorfinae academiae et medicae artis decus est. Proauus nostri CHRISTOPHORVS, Bessecauiensis et Storcauiensis agri superintendens, vxorem duxerat CATHARINAM CYRIACI SPANGENBERGII, nobilis quondam theologi et historici, filiam. Maternus proauus nostri DAVID HOFMANNVS, magistratu apud Furstenwaldenses summo, et antiquissimo loco functus, in coniugio habuit ANNAM, MARTINI NOESLERI filiam, qui duorum Electorum Marchiae Brandenburgicae Principum, Io. Georgii et Ioachimi Friderici, a sacris aulicis primo loco, et a consiliis consistorii fuit, decanus idem canonicorum Colonienssium ad Sueuum, cuius *de paucitate saluandorum liber* theologis probatus est. Sed nec atauus paternus ignobilis, PETRVS TREVERVS, quem familiae monumenta superintendentem Coburgensem vocant *. De materno etiam atauo GEORGIO

* Sed cum non habeatur in serie Coburgensium superintendentium, *Historiae Saxo-Coburgensi* Germanice editae inserta *Lib. I. c. 15*, suspicio est, archi-diaconum fuisse, eiusque nomen quo-

HOFMANNO constat, antiquissimo illum magistratu apud Furstenwaldenses functum, et patre IACOBO (qui tritauus maternus nostri fuerit) eiusdem fastigii in Bessecauiensi oppido, vsum. His maioribus minime poenitendis ortus noster, et editus in hanc lucem est pridie natalis dominici anno saeculi superioris LXXXIII. Iacobsdorfii, qui agri Francofurtani ad Viadrum pagus est, academiae illi assignatus, in quo pater GOTTLIEB TREVERVS, rem sacram cum maxime faciebat; vir sane doctus et prudens, quod vel inde apparuit, quod subinde ad ampliorem locum in ecclesia, primo Magdeburgum, hinc vero Guelferbytum translatus est; qua in vrbe diem suum obiit a. d. XXVIIII. Octobr. cIↃ IↃCC XXVIIII, duobus annis maior septuagenario: cum fuisset, vt habet titulus imaginis, ducis Brunsu. et Luneburgensium protecclesiastes aulicus, per vniuersum ducatum superintendens generalissimus (Germanicis monumentis *Ober-Superintendens* vocatur) ducalis consistorii consiliarius, abbas Riddagshusanus, pastor ad aedem B. M. V. quae Wolfenbüteli est, primarius, et scholae ephorus. Ab hoc patre igitur, et matre BARBARA SABINA, BALTHASARIS LAMBERTI, qui eodem sacerdotio functus fuerat, filia, ante-

dam errore mutatum in PETRVM PLEYER, qui *l. c. p. 83.* a regimine scholae Neustadiensis (*an der Heyde*) A. 1593. Coburgum vocatus, et A. 1616. ibi mortuus esse dicitur. Hic est, qui formulas precum e scriptis magni Lutheri excerpere tanti putauit, opusculum tum Argentorati et Vitebergae, tum 1696. demum Kilonii illustribus auspiciis recusum. Ceterum et haec, et quae de gente Treueria diximus omnia, huc translata sunt ex libello, *Ehrengedächtniss Herrn Gottlieb Treuer, Helmstadii 9. plag. fol.* edito.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0104
DFG

anteceſſoris ſui vidua, prima pietatis et humanitatis elementa hauſit: in Magdeburgenſibus autem ſcholis reliquum ingenii cultum capeſſiuit adeo quidem feliciter, vt cum ipſo ſeculari anno cIↃ IↃcc Lipſiam delatus eſſet, in qua S. theologiae, et bonarum artium, quas philoſophiae nomine comprehendunt, doctoribus ingenioſam ardentemque operam dedit, eodem ſtatim anno primam philoſophiae lauream, baccalaureatum vulgo appellant, adipiſceretur, magiſtri autem ſiue doctoris philoſophiae honoribus anno ſaeculi huius et vitae ſuae academicae ſecundo dignus digne condecoraretur. Quem locum etiam ſcriptis erudite, et pulcre defenſis, aliquot diſputationibus habendiſque variis praelectionibus ſic tuitus eſt, vt anno ſeptimo ſaeculi aſſeſſorem ſibi ordo philoſophorum cooptaret. Ac ſibi docendo et ſcribendo eam iam bonorum famam pepererat, vt aegre illum e complexu mater Lipſia dimitteret, cum anno ſeptimo ſaeculi, Guelpherbytum non diu poſt patrem euocatus, in florente tum academia equeſtri eloquentiam et hiſtoriam docere iuſſus eſſet. Quam egregie hoc munus ornauerit, cum principes aliquot, generoſoſque complures adoleſcentes, ſuae diſciplinae alumnos, locupletiſſimos teſtes habuit, tum aulam vniuerſam, qua praeſente ita laudauit optimos principes, vt propriam quoque in eo ingenii, et doctrinae, et orandi facultatis laudem inueniret. Anno XIII. comes generoſiſſimo adoleſcenti DE WERSEBE datus, Belgium et Galliam erudita peregrinatione obiit: e qua reuocatus ipſo fine anni, in academia Iulia ciuilis et moralis philoſophiae profeſſionem ab HACKMANNO relictam ſuſcepit A. XIIII. et ita ornauit, vt non modo,

quae ipso titulo polliceretur, cumulate praestaret confluentibus ad ipsum auditoribus, sed per omnem diuinae humanaeque doctrinae campum, et laeta vireta sodales deduceret. Constabilitis ita fortunis suis, et vitae reliquae sociam adsumsit A. saeculi XV. ornatissimam tum virginem SOPHIAM LOVISAM, PAVLI HENRICI GRIESEBACHII, vicinae huic vrbi Friedlandiae agro praefecti, filiam, quicum vt vixerit, quam suauis, quam amabilis maritus, lacrumae illius et luctus, qui consolationem adhuc omnem refugit, testantur. Supersunt ex eo matrimonio susceptI filii duo litteris et humanitate paterna cultissimi, GOTTLIEB HENRICVS, Hagae in comitatu Spoerckii iam vnum alterumque annum vivens, alter IVSTVS GOTTFRIED, languidam a morbo vitam trahens non minus quam filia vnica AGNESA WILHELMINA MARIA, virgo multis ingenii dotibus praestans. Adflictissimam tristi ruina familiam prouidentiae caelesti religiose commendamus, redimusque vnde paullum digressi sumus. Habuit hoc a natura praestans bonum TREVERVS, illudque vsu multo et diligentia coluerat ac perfecerat, vt perspicua pariter et suaui oratione, perpetua quidem illa, et ad concionis elaboratae instar profluente, doceret, vt non tam praelectiones haberet, quam concionaretur stans, et curate velut in magna panegyri, diceret. Itaque plerumque illum cinctum nobilissimorum hominum corona videres, quos et doctrinae fons inexhaustus, et sermonis suauitas alliciebat, ac rara quaedam et singularis pene retinebat humanitas, qua sine adulatione ita sibi iuueniles animos deuinciebat, vt scires, illum non praeclarum modo

modo doctorem esse decorae illius et venustae humanitatis, de qua praecipere iustis quoque commentationibus solebat, sed praestantissimum etiam exemplum, nec doceret quidquam eius venustatis, quod non moribus ipse suis exprimeret. Quare cum secularia academiae Altorfinae sacra legato honorare vellet Iulia, TREVERO potissimum ea curatio mandata est, quam ille legationem gratulationemque sic pertulit, vt et publice valde honoratam se putaret academia Norica, et ipse priuatim amicos sibi pararet in eo itinere plurimos, quos perpetua post id tempus beniuolentia deuinctos sibi habuit. Inter haec gliscere fama viri, et non in Guelficis modo aulis agnosci qualis esset, quantum in eo ornamenti haberent solidae et elegantes doctrinae studia; sed latius etiam spargi Treueriani nominis honos. Ac domi quidem historiarum docendarum prouincia Polycarpi Lyseri morte vacuefacta, ad illum delata A. S. XXVIIII. duobus autem annis post, hinc vt GVNDLINGIVM redderet Halensibus Musis, hinc vt Vitebergam SPENERO suo orbatam consolaretur, tentatus est *. Sed vicit amor Iuliae, vicit augustae domus Guelficae in ipsum liberalitas, quae et iuris publici professione, et consiliarii aulici dignitate, locoque in ICtorum ordine, virum adeo decorum patriae, augeret. Haec occasio fuit, qua doctoris vtriusque iuris titulo etiam ornatus est. Talis erat, his honoribus, hac gloria florebat TREVERVS, cum agitatum diu consilium de hac nostra academia condenda exse-

* Petropolin etiam, Traiectum, Hafniam, Holmiamque inuitatum, ex aliis potius, quam ex modestissimo viro, auditum est.

qui rex noſter auguſtiſſimus, felicibus auſpiciis, inciperet. Non poterat non inter primos eſſe TREVERVS, de quo Gottingam euocando in mentem veniret conſilio regio, Maecenati in primis noſtro, Munchhuſio. Et bono ſane fato ille huc translatus inter primos illos ſeuiros fuit, qui autumno Ann. XXXIIII. ſcholas academicas hic habere iuſſu regio coepere: ſolus, qui ordinarium ſimul inter ICtos et philoſophos ea lege habere iuſſus locum eſſet, vt decanatum vtriusque ordinis poſſet gerere. Ac philoſophorum quidem claſſem tribus annis, ad inaugurationem vſque, pro decano duxit; ordinarium decanatum in ipſa inauguratione ſuſcepit, adhuc ſemel deinde ſemeſtri illo honore functus: iuridicae autem facultatis decanatum alterum tamquam ſplendidum ἐνταῦθιον nactus eſt. Prorectoratus honore in ſolo ICtorum ordine functus eſt, qui et ante inaugurationem academiae commiſſarii regii titulo relictas a Brunquello habenas ſuſceperit. Porro efficax ille et agilis TREVERVS noſter primus omnium diſputationem in academia publicam habuit, reſpondente GODOFR. PHILIPPO BVLOWIO, caro nobis nomine, quod eius gentis eſt, cui Bulowianam Bibliothecam, praeſtantiſſimum doctrinae omnis armamentarium, debemus. Caeterum quibus rebus, artibus, meruerat, vt inter nouae litterarum coloniae proceres adſcriberetur, iis hanc ipſam ſtrenue ornare atque amplificare non intermiſit, ſiue doctrina opus eſſet ſolida atque illuſtri, ſiue miti illa prudentia venuſtaque humanitate, qua perfecit, vt non vanus neque vmbraticus doctor eſſet illius ſententiae, quam primo apud nos programmate propoſuit, *viuere tota vita academica*

va discendum esse: vel illius alterius a Seneca acceptae (*Epist. 23.*) quam suo nomini in philothecis studiosorum adscribebat, *hoc ante omnia fac, discе gaudere.* Et sane, si perpetuam illam frontis serenitatem, illam moderationem oris, et sermonis humanitatem, illud insigne pacis studium, quo non ipse modo placatus et propitius omnibus, sed pacis etiam et concordiae auctor, interpres, conciliator fuit omnibus, si harum virtutum, quas homileticas vocat Aristoteles, chorum pulcerrimum videamus; illum (quae hominis est peripatetica definitio) ζῶον πολιτικὸν, *ciuile animal* quam maxime fuisse ipsum, et alios efficere studuisse, certum est: quem si de veterum philosophorum numero alicui conferendus esset, ARISTIPPO illi Socratico videmur iure posse comparare: sed in quantum Socraticus est ARISTIPPVS, et laudatur, et defenditur; qualem HORATIVS pingit (*Epist. I, 17, 23*).

Omnis Aristippum DECVIT *color, et status, et res,*
Tentantem maiora fere, praesentibus aequum:

qualem DIOGENES LAERTIVS his verbis (II, 66.) ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τοπῳ καὶ χρονῳ καὶ προσώπῳ, καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμονίως ὑποκρίνασθαι - ἀεὶ τὸ προσπεσὸν εὖ διατεθέμενος. Verbo, quidquid in ARISTIPPO laudabile veteres commemorant, illud nostro in TREVERO deprehendisse nobis videmur, idque his, qui vtrumque norunt, non difficile putamus ad ostendendum. Erat hic locus enumerandi scripta viri doctissimi, quibus ille nullam fere doctrinae partem non attigit: ius autem Germaniae nostrae publicum, ciuilem doctrinam, et historiam, sic illustrauit, vt inter praestantissi-

mos earum rerum doctores suo illum merito grata posteritas celebratura sit. Sed quando indiculi eorum passim exstant *, quibus multo plenius aliquid meliusque modo dare neque temporis, neque chartarum angustiae permittunt, satis nobis hic fuerit ea tantum indicasse, quae in hac academia vel edidit, vel molitus est. Praeter libellos academicos ** memorabile ad omnem posteritatem opus est *Genealogia* illa *Munch-*

* V. G. *Hist. bibl.* Fabricianae, P. V. *p. 8. seq.* GOETTEN *ietztleb. gel. Europa* P. I. *p. 619.* MOSER Lexico *der ietztlebenden Rechtsgel.* cuius de nostro iudicium hoc est: *er hat verschiedene Materien aus dem ietzo üblichen Völcker-Recht so schön ausgeführet, dass wir wenig dergleichen haben, ist auch sonst in Deutschen Alterthümern und dem Deutschen Staats-Rechte wohl erfahren.* Add. STOLLII *Anmerkungen über D. Heumanns Conspectum reip. liter.* p. 870 seq.

** Prima, vt diximus, disputatio in Gottingensi academia habita est a. d. VIII. Ian. CIↃ IↃCC XXXV. qua ostensum, *S. R. I. Principes Electores nulla lege imperatoris adstringi ad academiam condendam.*

II. *De officiis academiarum Germaniae in Caesarem et imperium,* Resp. Iustus Ludou. de Fabrice, a. d. V. Apr. A. XXXV.

III. *Iurisprudentia publica circa titulos officii imperatoris augustissimi,* Resp. Ge. Ludou. Mehemet a Koenigtreu, m. Sept. Ann. XXXVII.

IV. *De studiis nimiae libertatis circa status imperii, ruinam* I. R. G. *procurantibus,* Resp. Otto Henr. de Broembsen, a. d. XII. Oct. A. XXXVIII.

V. *Inuestituram per sceptrum feudis ecclesiasticis et saecularibus communem fuisse,* Resp. Henr. Frid. de Windheim, a. d. XXIV. Mart. A. XLI.

VI. Diss. I. qua *logomachiam de ciuitatibus mixtis in iure publico obuiam discutit,* Resp. Iust. Car. Wiesenhauern, a. d. XII. April. A. XLII.

Addi his possunt Programmata, *de cautione in tractando iure publico adhibenda, de commento obligationis perfectae Gentium quasi ex contractu,* quo disputationi inaugurali D. Dieterici proluit A. XXXX. a. d. XXVI. April. *et* quo D. Wrisbergium

Munchhusiana *, qua de tota academia nostra praeclare meritus est, cum aeterno monumento celebrauit gentem illam, quae nostrum nobis conditorem dedit, perpetua a nobis pietate colendum non minus, quam antiquae urbes suos ΚΤΙΣΤΑΣ, heroas suos, atque indigetes, ** venerati sunt. Annus est et paullo amplius cum alio etiam munere de rebus nostris praeclare meritus est, scribendis *actis diurnis*, in quo opusculo tantum doctrinae, venustatis, salis, non nigri, aut rodentis viscera, sed candidi, sicci, salubris, cathartici, agnouere qui nasum habent, vt principatus illi in hoc genere hodie suffragiis arbitrorum idoneorum tribueretur.

Maius opus mouebat ac moliebatur TREVERVS noster, quod mole sua vel voluminum multitudine, Thesauris illis Graeuianis, Gronouianis, Muratorianis annumerandum fuisset, *Thesaurum antiquitatum Germanicarum*, de quo edendo iam anno saeculi XXI.

commendauit a. d. XV Sept. eiusdem anni. *De iure criminali publico S. R. I. cautissime diiudicando.* Actio illa, qua inter inauguralia sacra XX. magistros philosophiae renunciauit, historiae inauguratione adiuncta est.

* Titulus est: *Gründliche Geschlechts-Historie des hochadlichen Hauses der Herren von Münchhausen, worinnen die Abstammung aller Vorfahren von dem XII. Iahrhunderte an mit vielen aus verschiedenen Archiven und Registraturen gezogenen Vrkunden, gedruckten Schriften und andern Zeugnissen deutlich erwiesen wird, mit einem Anhange häufiger Diplomatum und Vrkunden auch nöthigen Kupfer und Stammtafeln versehen von* Gottlieb Samuel Treuer, *königl. Grosbrit. und Churfürstl. Braunschw. Luneb. Hofrath und Profess. Publ. bey der Georg Augusts Vniversität, in fol. 7. Alph. 23. Kupfer. Göttingen bey Abr. Vandenhoek, 1741.*

** Vid. EZECH. SPANHEMIVS *de vsu et praest. numis. diss. VIIII. Tom. I. p. 563. seqq.*

XXI. *epistolam ad Thom. Fritschium* publicauerat, *delineationem* vero dederat Ann. XXX. repetitam Ann. XXXIII. Post multa impedimenta hinc inde obiecta iam in eo res erat, vt primo quoque tempore prelis subiiceretur, et fortunam fratrum suorum tentaret Tomus primus, fauente operi et munificam manum porrigente illustrissimo curatore nostro, cuius nomini iam gratulatum ibamus opus, cui immortalitatem multa spondent. Sed eheu! quem musa vetat mori, quem diutissime rebus nostris interesse nemo erat quin vehementer optaret, cui productissimam vitam spondere videbatur robusta, vt putabamus, valetudo, corpus siccum et neruis adstrictum, exercitatio inambulandi fere quotidiana, et quauis non madida tempestate susceptа, sobrietas, quam nec Siculae mensae loco possent mouere, aut extra cancellos elicere, animus ille praesertim hilaris, moderatus, placidus, nemini inuidens, omnibus amicus, qui ipsum corpus sustinere posse, et senectutem illi addere videbatur: TREVERVS eheu! noster subito totus iacet. Dicamus reliqua verbis viri, quo nemo neque melius rem ipsam nouit, neque dicere potest commodius, illustris RICHTERI nostri.

„Mensem, cuius exitum funestum habuit vir pie „defunctus, sine vllo imminentis morbi suspicione in„gressus est. Vidi eum, cum die V. apud me coena„ret, illibata valetudine, quam perpetua sobrietate et „mirabili animi sui serenitate sustentauit, omnimodo „fruentem. Accidit interea, vt pedem dextrum ex „improuiso ad duriora offendicula allideret, cuius in„de suffusi cruore et sugillati, ac paulo post tumentis, „noxam contempsit primum, mox suo vel chirurgi

„sui

„sui instinctu spiritu vini camphorato discussit. Coe-
„pit detumescente pede internus viscerum aestus ac-
„cendi, cum magnis fluxibus aluinis, crebrisque sudo-
„ribus, et praecipiti virium lapsu. Inuisit eum tum
„apud nos praesens illustris WERLHOFIVS, vt
„veterem amicum, suique periculi, quod manum me-
„dicam protinus flagitaret, admonuit. Verum vt de
„nemine optimus vir, ita nec de morbi sui insidiis ma-
„le sensit, iisque, quae ad manum erant, vsus breui
„cessurum putauit, quidquid corpus adfligeret. Die
„abhinc tertio, qui dicti mensis XV, fuit, litterulis me
„salutauit, ne ad aegros excurrens domum ipsius prae-
„terirem. Veni, aestuantemque et pressiori spiritu an-
„helantem, nec nisi aegre prae faucium siccitate bal-
„butientem, vel vt verbo dicam, acute febrientem re-
„peri. Suasi illico sectionem venae, de qua iam cogi-
„tasse oportuerat, quamue curaturum se promisit, at
„intermissam altero die metu prostratarum virium ex-
„cusauit, nec nisi iterum vrgenti moramque omnem
„improbanti paruit. Missus cum praesenti leuamine
„sanguis, at febre iam adultiori, prosiliit cum impetu,
„tenax, ater et lardosa crusta infectus. Verum post
„breue tempus vires resumsit morbus, cum etiam
„nunc aeger vix retrahi a consuetis negotiis, et ad le-
„ctulum constantius tenendum, frigidumque conclaue,
„quod naturae suae amicum iactitabat, cum calidiori
„permutandum compelli posset, nihil ceteroquin de
„constantia animi sui perdens, de rebus obuiis parce
„quidem et languide, ac semper pro veteri more sua-
„uiter et cum acumine differens, morbique iniurias,
„quamuis in omnium oculos inciderent frequenti illo
„testimonio, satis bene sibi esse, dissimulans. Vt pro

salute

„ſalute tam chara plures vigilarent oculi, magnifi-
„cum academiae prorectorem, D. Io. Andr. Se-
„gnervm, collegam honoratiſſimum, ad iungendi
„conſilii ſocietatem inuitaui, eumque ipſe ad lectum
„aegrotantis ſexto ante obitum die adduxi. Obuiam
„itum eſt cognitis artis praeſidiis creſcenti malo, in
„quo maxime ad criſes naturae attentos eſſe medicos
„conuenit. Adfulſit ſubinde ſpes, ſed alternis diebus,
„quibus plus morbus ſaeuiit, tenuior, imo et hoc no-
„mine fallacior, quod de aegro conciperetur, num-
„quam moroſo, numquam querulo, numquam de ſa-
„lute ſua anxio. Vehemens diarrhoea, cui mucoſi
„multum et cruenti ſe miſcuit, ſed ſine doloris ſenſu,
„cum natam a repulſione noxam ſaepe ſalubriter eli-
„minet, maxime hic, quippe in corpore ad fluxum
„haemorrhoidalem olim procliuiori, nulla a nobis vi
„repreſſa eſt, ſed leniter habita, nec quieuit penitus
„niſi poſtremis diebus, cum conſpicuo relaxati ab-
„dominis tumore, et maiori quadam dextri lateris,
„in quo humidior et caligantior oculus, debilitate.
„Non minus vero inter profluuia illa quam effuſos
„ſudores, ne de adflictis faucibus dicam, exhauſtas vi-
„res cito excepit contumax et ſenſim comatoſus ſo-
„por, ex quo excitari non potuit, quin vel protinus in
„eundem incideret, vel mentis alienatae indicium da-
„ret. Quamdiu alternis diebus copioſiores et cali-
„diores ſudores ſomnolentiam illam et comitabantur
„et ſenſim ſoluebant, vt die adhuc XXII. factum eſt,
„illuſit obſcuri leuaminis ſpecies, at natura nouis am-
„biguae criſeos moliminibus ſuſtinendis impar con-
„firmatiori comate ſuccubuit hora II. poſt meridiem
„diei XXV. Febr.

Quod

Quod de salute sua anxium negat fuisse vir illustris, ad mortale corpus pertinet, quod ille numquam amplius, quam vt aptum diuinae menti instrumentum esset, curauit. Caeterum immortalem Spiritum quanta sollicitudine saluatori Deo commendauerit, testes sunt tum venerandus collega noster CRVSIVS, tum reuerendus et ipse sacrorum apud nos administer BLOCKIVS; quorum sermonibus ad spem beatae immortalitatis erectus, ab hoc etiam sacrorum mysteriorum celebratione recreatus, a nobis ad interminabilia et veriſſima gaudia translatus est. Vos, cariſſimi ciues, quam carus vobis fuerit TREVERVS, deducenda hodie nobiscum funeris pompa demonstrate, quae in illo vere laudauimus, eorum vos praestate strenuos sapientesque imitatores, et perpetuo *discite gaudere*. Gottingae a. d. IIII. Martii A. R. G. cIↃ IↃcc xxxxiii.

* *

XXXI.

MEMORIA TOBIAE IACOBI REINHARTHI.

Magnus merito inter omnes populos legibus ad humanitatem et iuſtitiam cultos iurisconſultorum honor eſt, magna auctoritas. Non corrademus huc ſapientium hominum voces ac teſtimonia, multo minus ICtorum ipſorum pro ſe ſuaque arte propugnationes. Rem ipſam paucis videamus. Neque vero eſt, vt ad commenta quaedam ſtupeamus, ad ficticios et in otioſorum quorumdam mente natos populos, quales, quo quis eſt ingenioſior, eo mirabiliores, eo nobis magis diſſimiles, felici fetura poteſt excudere, et vel in terra auſtrali, vel in inſulis remotis, vel in luna, vel ipſo in ſole, vel in ſubterraneis locis quibusdam, vbicumque denique lubitum fuerit, veriſſime autem in Vtopia, collocare. Sed nec ad barbaros hic eſt reſpiciendum, qui de nulla alia re, quam de glandibus aut piris litigandum habent, quorum proinde facile lites componuntur: nec illorum habenda ratio, in quibus arbitrio paucorum, vel vnius adeo, res iudicantur, quorum vel ſpectata aequitas, vel ipſa vis ac dominatus, pro iure eſt. Vt ſunt res noſtrae, quae mutari nullo modo poſſunt, iuriſperitorum fide, opera conſiliis, ea conſequimur et conſeruamus, propter quae in ciuitates ſi nondum collecti eſſent homines, coituri

coituri videntur: quae si breui summa complecti velimus vniuersa, *ius nostrum* vocare solemus. Horum consilio et manu vt scribuntur leges, ita explicantur, sicubi obscuras faciat non praeuisa rerum varietas, vel quaecumque caussa alia: ab his, quid factum sit? inter tot latendi ac fallendi artes, e perplexis nonnumquam astutorum hominum labyrinthis, contraria quadam arte, in lucem protrahitur: ab his, qua ratione vel tenere nostra, vel ablata recipere, quomodo contra vim pariter ac fraudem tuti esse possimus, in ipso rerum actu, vbi cummaxime opus est, discimus. Horum fide innocentia oppressa respirat; horum seueritate, quae se impune iactauit, fraudulenta audacia ad poenam vocata coërcetur. Peculiarem inter ICtos honorem mereri videntur ii, quos hoc ipso respectu Iustinianus *antecessores* vocat, legitimae disciplinae doctores et professores. Hi ICti non ipsi modo sunt, sed alios faciunt: horum ad disciplinam conueniunt, quibus paullo post omnibus suis partibus gubernanda committatur respublica. Auditorium eiusmodi ICti seminarium est verissimum, vnde exeunt, et ad primas in ciuitate dignitates euehuntur, in praesidiisque reip. collocantur, viri consiliarii, magistratus, iudices, iuris nostri, id est vitae, existimationis in ciuitate, et omnium quae habemus, quibus frui volumus, arbitri. Qui autem de iure consuluntur ab aliis iudicibus, ad quos caussae aliarum ciuitatum deferuntur, illi vero insigni in gradu inter ipsos quoque ICtos constituti sunt. Horum cor, museum, domus, oraculum quoddam esse videtur, ad quod rebus dubiis confugiunt non humiles modo et miseri homines, sed ipsi rerum domini,

principes, ciuitates integrae, et consilio illorum subleuari petunt. Perspecta talium responsorum vtilitate ac praestantia, veluti sociata quaedam e pluribus oracula constituta sunt, collegia de iure respondentium, et causas ad se delatas iudicantium ICtorum: eisque praeses *ordinarius* datus, cuius summa speraretur non scientia modo iuris, sed prudentia etiam, ab ingenio, a doctrina, ab actu rerum praesertim comparata; et fides, quam nec tentare quisquam temere auderet; et humanitas erga eos, quos non metu et imperio, sed reuerentia quadam suae dignitatis, et cupiditate ab ipso discendi, et amore in amabilem vndiquaque collegam, continere debet, vt consociata diligentia, fide confederata, acumine mutuis disputationibus aucto, satisfaciant quaerentibus, auctoritatemque suorum quasi oraculorum vel constituant, vel subinde augeant et illustrent. Tale collegium regere, huius formare oracula, et videre ne quid admittatur, ne quid irrepat, quod vel cuiusquam litigatoris ius, vel collegii dignitatem minuat, non profecto *leguleii* alicuius est, licet *cauti*, et *acuti*, *praeconis actionum*, *formularum cantoris*, *aucupis syllabarum;* sed summi ingenio, doctrina, prudentia, fide, auctoritate hominis, quales non multos vna proferre aetas solet. Talem si cogitare, aut informare animo potuisset Tullius, non ea ille profecto dicturus in ICtos fuerat, quae pro Murena dicenti aut exciderunt, aut causae illius ratio expressit: quibus non ea opponimus, quae Aonius Palearius, vt ad totam orationem, ita ad hanc etiam partem eleganter et erudite rescripsit, sed ipsum, cum incorruptius iudicat, M. Tullium; qui diu post consula-

ſularem illam orationem*, *iuris*, inquit, *ciuilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante hanc confuſionem temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt*: et aliquot ante Murenianam illam annis dedita opera, quantum eſſet momenti in iure et iuris conſultis, oſtendit, eamque diſputationem ita finit: *nam qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit non modo iudiciorum, ſed etiam vtilitatis vitaeque communis. Qui autem interpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris eſſe dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit. Sin peritis non putat eſſe obtemperandum; non homines laedit, ſed leges et iura labefactat. Quod vobis venire in mentem profecto neceſſe eſt, nihil eſſe in ciuitate tam diligenter, quam ius ciuile retinendum. Etenim hoc ſublato, nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quid ſuum, aut quid alienum ſit: nihil eſt, quod aequabile atque vnum omnibus eſſe poſſit.* Neque vero mirum eſt, humilius interdum de ICtis et iuris peritia locutum Ciceronem: cui plane de alia re, de alio genere hominum, ſermo eſſet ſcilicet, quam de quo nunc agimus. A Romano tum ICto, qualis Trebatius, Valerius, et horum ſimiles, (Svlpicivs enim altioris iam ſubſellii vir, et idem patronus cauſſarum, quod opus ICti promiſſionem excedebat) nihil fere aliud petebatur, quam legum felix memoria, vt in promtu haberet, quae de quaque re leges latae eſſent, quibus porro legibus prioribus illis obrogatum aut derogatum eſſet: tum vt actionum formulas ad vnguem te-

 nerent,

* *Offic.* II. *c.* 19. Add. *Orat. c.* 41. *Ius docere ſemper pulcrum fuit.* Locus quem ſtatim adiicimus, eſt *pro Caecin. c.* 25.

nerent, et, quae singularum vis esset, haberent cognitum, vt cauere consultoribus suis possent, et suadere qua formula experirentur, ne plus, aut secus etiam quam oportet petendo, formula aut caussa adeo ipsa caderent. Itaque ministri tantum erant patronorum, summum patroni quidam secundarum partium, de quibus proinde dicit Tullius *, *vt aiunt in Graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint; sic non nullos videmus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire.* Recte ista, Cicero: sed imperitiam aliquam suam prodat, aut calumnietur sciens, si quis ea ad hoc ICtorum genus, de quibus hic agere coepimus, transferat. Nostri ICti non illarum modo rerum peritissimi esse, pro rationibus reip. nostrae nimirum, debent, quarum isti Romani, sed praeterea et iudicis sapientis omnem prudentiam, et patroni Romani scientiam atque artem, si non simpliciter omnem, certe maiori ex parte complexi. Illorum est, quid viderit legislator, quid ipse exceperit? quid verum, quid item fictum, quid dissimulatum afferant litigatores, qua in re fallere studeant? qui testes videantur veri, qui suspecti, qui corrupti? quae argumentandi ex lege vel ex factis rationes certae, quae probabiles, quae fallaces? et infinita in eo genere, sagaci mente explorare et perspicere. Adde ingentem hodie iuris apud nos ambitum: cogita, nunc de publico iure quaeri, quo imperator ordinibus, et contra, quo principes inter se et ciuitates deuincti sunt; nunc de priuato et ciuili, non eo modo quod commune est Germaniae, sed

* *Pro Muren. c.* 13.

sed quod singularum regionum, quin vrbium statutis et legibus continetur; nunc de feudorum, quae vocant, iure et consuetudinibus peti consilia vel sententias: adde quae circa sacrorum iura, vel in ipsa Romana curia et aliis iudiciis, quae pontificis auctoritatem sequuntur, vel in tribunalibus mixtis, vel in ipsis Protestantium, quos vocamus, foris, disputantur: adde ipsas de ordine iudiciorum leges inter se discrepantes: adde magnam rerum iudicandarum multitudinem, momenta, obscuritatem ab litigantibus, vel his, qui commentaria actorum faciunt aut colligunt, ortam: adde querelas eorum, contra quos pronunciatur, ipsorumque adeo, secundum quos iudicatum est, (nemo enim temere est, quin sibi videatur vincere debere in iudicio, et plane incommodo omni et sumtu liberari), et quantis doctrinae praesidiis, quanta vi sapientiae, quanta fortitudine opus sit, ad talis ICti personam digne sustinendam, apparebit. Iam vero si haec in summam colligamus omnia; si ponamus vnum virum iuris omnis ita peritum, vt cauere aliis, et consilium dare, vt causas in iudicio patronus suscipere, vt res sapienter iudicare, vt totam, quam late patet, iuris prudentiam docere cupidos legum adolescentes possit, vt ipse in administranda republica cum laude versetur, vt de iure consulentibus longe lateque fundat oracula, vt pars, vt praeses sit eius collegii, ad quod deliberatum mittant reges, principes, ciuitates, iudices, patroni, litigatores pene infiniti: ea profecto exorietur persona ICti, quam admirari possit vir sapiens, nemo nisi stultus contemnere. Adde his virtutes alias, amorem patriae et animum vere ciuilem, vere popularem, o-

ptimarumque eumdem partium; porro integritatem et innocentiam nec auro nec ambitione expugnabilem, humanitatem, quae damnare innocentem perhorreſcat, fortitudinem inuidia omni ſuperiorem, comitatem denique facilem adeuntibus, iucundam conuictoribus, collegis amabilem. Haec iunge omnia, et habebis verum et explentem illius nominis menſuram, et ſummi ordinis ICtum.

Talem eheu! habuit haec academia, talem iam toto fere menſe luget, talem deſiderare, vt honorare, nunquam deſinet! Nomen, titulos, vitam ponemus verbis ab idoneo, ſi quiſquam notore, teſte, arbitro, conceptis: „Natus eſt

VIR ILLVSTRIS, MAGNIFICVS ATQVE IVRIS CONSVLTISSIMVS

TOBIAS IACOBVS REINHARTHVS,

M. Britanniae regi, duci Electori Brunſuigo-Luneburgico ab aulae conſiliis, canonum profeſſor publicus, collegii iuridici ordinarius, et ordinis ſui prodecanus, Erfurti VIII. Octob. die, A.R.S. cIↃIↃCLXXXIIII. patre IOANNE IACOBO REINHARTHO, mercatore et cohortis ciuium optione, matre IOANNA WÖLFFERIA. Prima ſtudiorum fundamenta poſuit in ſchola patria, quam Praedicatorum appellant, et quam iſta tempeſtate WEINGAERTNERVS regebat, ex qua in gymnaſium ſenatorium delatus, humanioribus litteris ſub directore HOGELIO, et profeſſoribus THIEMROTHIO, FISCHERO et BÜCHNERO ſtrenuam nauauit operam, et tandem in perantiqua illa Hierana

rana vniuersitate ad altiora admissus in philosophicis sectatus est STENGERVM, in iure audiuit celeberrimos professores, MEIERVM, TENZELIVM, STREITIVM et LILIENVM, et eo animi ardore, eo cum successu in legitimo opere progressus est, vt, post habitam sine praeside anno cIↃIↃccVI. pro licentia summos petendi honores cum applausu disputationem *de eo, quod circa negotiorum gestionem iustum* est, Anno cIↃIↃccVIIIIet doctoralia insignia et aduocati regiminis ordinarii spartam consequeretur. Mox ordine honores sunt secuti, viroque et solidioris iurisprudentiae, et forensis dexteritatis laude conspicuo delatae, A. cIↃIↃccx. *professio iuris* in vniuersitate patria *extraordinaria*, A. cIↃIↃccxII. *professio Institutionum ordinaria*, A. cIↃIↃccxIIII. *professio Pandectarum*, A. cIↃIↃccxVIIII. *professio Codicis*. Anno cIↃIↃccxxv. *collegio ICtorum, quod de iure respondet, assidere* coepit. Anno cIↃIↃccxxxI. eidem *rectoratus Vniuersitatis* est delatus, quem honorem, alias annuum, quanta cum dignitate, quanta cum prudentia gesserit, ex eo videre est, quod magistratum per integrum quadriennium continuare communibus suffragiis iussus sit. Hi honores beato viro in academia obtigere. Non minorem in tanto ICto spem collocauit vrbs patria, quae A. cIↃIↃccxV. inter senatores *quaestorem primarium*, A. cIↃIↃccxVII. *syndicum*, A. cIↃIↃccxxII. *aedilem primarium*, Anno cIↃIↃccxxVIII. *consulem* esse voluit, et praeterea grauissimum, maximaque cum fide, constantia, dexteritate gestum munus *consiliarii apud eos, quibus rerum sacrarum A. C. administratio commissa, primarii* concredidit. Anno cIↃIↃccxxxIII. celsissima Co-

mitum HATZFELDIORVM et GLEICHENSIVM domus *in comitatu Blanckenhaynenſi cancellariae directorem* gratioſiſſime conſtituit. Sed et ſereniſſima Saxoniae dux FRIDERICA ELISABETA, poſt morte ereptum maritum, ſereniſſimum ducem IOANNEM GEORGIVM, beatum virum ſuum *in viduitate conſiliarium* eſſe iuſſit, qua gratia etiam apud filiam ſereniſſimam, IOANNAM MAGDALENAM, ſereniſſimi Curlandiae ducis FERDINANDI viduam floruit. Longum foret, principes, comites, vrbes imperiales, aliaſque magnae dignitatis perſonas recenſere, quae ad beatum anteceſſorem, dum Erfurti morabatur, conſiliorum cauſſa acceſſerunt. Obliuioni tamen tradendum non eſt, quod eminentiſſimus Elector LOTHARIVS FRANCISCVS, cuius memoria non modo archipraeſulatui, cui praefuit, verum etiam toti imperio adhuc ſacra eſt, beatum non modo ad affatum admiſerit, et in grauiſſimis cauſſis clementiſſime audierit, ſed etiam nihil tale opinantem, immo rei cauſſam prorſus ignorantem, per codicillos Electorales, annua liberalitate honorauerit. Proprincipes reuerendiſſimi illuſtriſſimique PHILIPPVS WILHELMVS COMES BOINEBVRGIVS, et, qui nunc res Erfurtinas feliciſſime moderatur, ANSELMVS FRANCISCVS ERNESTVS L. B. WARSBERGIVS, REINHARTHVM noſtrum ſumma cum gratia ſunt amplexi, ille praeter alia infinita fauoris indicia, pro auctoritate ſibi a Caeſare conceſſa *comitem ſacri palatii* creauit, hic, aegre licet ferens Hieranam tantum amittere decus, vt mox dicemus, abeuntem non modo gratioſiſſime dimiſit, verum etiam ſuis litteris abſentem ſaepe numero eſt dignatus. Scilicet neminem fugit, quanto cum

cum ſtudio AVGVSTISSIMVS M. BRITANNIAE REX, ELECTOR BRVNSVIGO-LVNEBVRGICVS, dominus noſter longe clementiſſimus, ante hos nouem annos Georgiam Auguſtam condiderit, et ad id maxime ſuam intenderit curam, vt idoneis publicis doctoribus eadem in ipſo ortu inſtrueretur. Fato autem acciderat ſat graui, vt BRVNQVELLVS, regi ab aulae conſiliis, canonum profeſſor, et facultatis iuridicae ordinarius, poſtquam per aliquot hebdomadas regium commiſſariatum in hac Georgia Auguſta geſſiſſet, A. cIↃIↃccxxxv. d. xxi. Maii, praecoci funere opprimeretur, quam iacturam REX SAPIENTISSIMVS euocato noſtro REINHARTHO, omnibuſque iſtis *conſiliarii aulici*, *profeſſoris canonum publici*, *et facultatis iuridicae ordinarii* honoribus et muneribus eidem commendatis, locupletiſſime ſarciuit. B. TREVERVS ſuſceptum interea *commiſſariatum regium* noſtro poſt ſemeſtre abſolutum eodem anno tradidit, et poſt inauguratam academiam A. cIↃIↃccxxxx. collega noſter venerabilis, MAGNVS CRVSIVS *faſces Georgiae Auguſtae* in beatum contulit. Quanta ille cum prudentia hanc dignitatem ſuſtinuerit, quanta cum eloquentia, ſolidiorisque doctrinae apparatu auditores frequentes inſtruxerit, quam amice cum collegis vixerit, quanta facilitate omnes admiſerit, et, qua modo re poterat, iuuerit, ornauerit, quam incrementa Georgiae Auguſtae curae cordique habuerit, *quanta fide alumnis electoralibus* cum collega amplisſimo, INSINGERO, *praefuerit*, noſtrum non eſt dicere, cum id academia, vrbs, et tot ex eius ſchola ad honores et munia vocati teſtes vno ore affirment. Maxime ICtorum, qui de iure reſpondent, ordo hoc vnanimi

voce testatur atque profitetur, per omne illud tempus, quo ordinarium eundem sunt venerati, eam in doctrina soliditatem, in decisionibus accurationem, in dicendo perspicuitatem, in suffragio comitatem, in amore constantiam, in moribus elegantiam, in officiis promtitudinem, se esse expertos, vt desideratissimi capitis iacturam, non ex seculi more, sed intimo affectu lugeant. In hac negotiorum, cum Erfurti, tum Gottingae, imminentium mole, tamen calamo etiam bene mereri de iurisprudentia annisus est, quod vel *dissertationes academicae magno numero conscriptae*, et alio in loco curatius paullo memorandae, ostendunt. Sed et maiori opere aeternum doctrinae pariter atque industriae monumentum sibi condidit, PAVLLI nempe CHRISTINAEI maximi nominis ICti *Decisionibus* longe accuratius emendatiusque in lucem publicam editis, additoque peculiari volumine *selectarum obseruationum ad easdem* CHRISTINAEI *decisiones*, quod eiusdem *obseruationibus eugenealogicis seu heroicis*, libello rariſſimo, auctius, ornatiusque Erfurti his nundinis vernalibus demum prodiit.

Optime sperare poterat Georgia Augusta de tanto decore, quod nec senex esset admodum, et (quod ii norant, qui familiarius eo vtebantur) oblato *vicecancellariatu in S. R. I. principis aula*, et post seriam deliberationem modeste refutato, apud se constituisset, huic vniuersitati immori. Sed subitus et extremus casus omnes illas spes, quas longas inchoaueramus, disturbauit, de quo adhuc dicendum, si de domus suae statu, et familia splendidissima, nunc lugentissima, prius exposuerimus. Matrimonium bis contraxit

traxit fausto omine, alterum cum ornatissima virgine, IOANNA IVLIANA, IOANNIS CHRISTOPHORI SCHILLERI, inter copias Electorales iudicis militaris, vnica filia, parens factus liberorum trium, filii et filiae paullo post natiuitatem denatorum, filiaeque superstitis patrem nunc lugentis ELEONORAE IOANNAE MAGDALENAE, nuptae viro praenobilissimo consultissimo, atque prudentissimo, CASPARO FRIDERICO LENTINO, I. V. D. inter senatores Erfurtenses quaestori primario, et magni hospitalis administratori, moestissimo genero, triumque nepotum ex hoc matrimonio auus IACOBI FRIDERICI, LEBRECHT BENIAMIN FRIDERICI, et PAVLLI FRIDERICI, quorum illi duo supersunt: alterum cum vidua nunc moerentissima matrona omnibus sexus sui dotibus conspicua LVDOVICA CHRISTINA, IOANNIS ARNOLDI, rerum metallicarum vice-praesidis, et illustrissimorum Comitum Stolbergensium aulici consiliarii, filia natu maxima, ex quo matrimonio susceptI nunc pariter grauissime lugent filius IOANNES BENIAMIN I. V. C. et in praefectura Hertzbergensi assessor extraordinarius, auditorem vocant, et filia, MARTHA SOPHIA ELISABETA LOVYSA cum marito, viro praenobilissimo, consultissimo, amplissimoque HIERONYMO FRIDERICO LEBRECHT MEIERO I. V. D. et eminentissimi Electoris Moguntini in ditione Atzmannsdorffensi praefecto, et nepotibus quatuor, LOVYSA MARIA CHRISTINA FRIDERICA, ELEONORA SVSANNA MAGDALENA ELISABETA, IACOBO FRIDERICO ANDREA, et IOANNE CASPARE."

Tantum ille. Vt honori erit his omnibus perpetuo nomen et imago REINHARTHI nostri, ita reliquam quo-

quoque felicitatem florenti per ipsum genti contingere optamus, quam studio illi parare suo dum viueret, et moriens precibus atque votis impetrare conabatur. Nempe veniendum est ad tristissimam nobis commemorationem, ad morbum et mortem, quae carum nobis caput eripuit.

De qua re in praesentia ista tantum dicere per absentiam excellentissimi Collegae nostri BRENDELII, cui valetudinem suam curandam commiserat, licet. „Hypochondriaca passio, proprius eruditorum, et sedentariam vitam agentium, morbus, eaque in vagam arthritida nonnumquam exiens, beato viro saepius molesta esse solebat: saepe eadem subitaneo asthmate nocturnam ipsius quietem interturbans, terrorem ferebat ornatissimae coniugi, et familiae. Ea cum affectione laudatus BRENDELIVS noster armis idoneis congressus, nec infelici successu, est, adeo quidem, vt post sollicitas vltimas Aprilis hebdomadas, quibus grauius decubuerat, bonam spem iniens Maius ostenderet, vires recipiente eas REINHARTHO, quae ipso iudice, licet diffidentibus, et dissuadentibus motum vehementiorem amicis, viderentur sufficere praelectionibus pariter et conuentibus ordinis iuridici habendis, a quibus retineri se vir diligentissimus et obseruantissimus officii, aegre et prope impatienter ferebat. Nec male videbatur initio cessisse factum eius rei a. d. VIIII. Maii periculum, quo ad vtrumque laborem forti conatu et magno animo rediit. Post noctem ab eo die satis quietam, cum mane admodum more suo surrexisset, circa horam sextam matutinam tanta se difficultate respirandi, tanta eloquendi et sentiendi adeo impotentia oppres-

oppressum subito ac prostratum sensit, vt magis iam de futurae vitae praesidiis, et illo *cibo immortalitatis*, quam de huius vitae prorogandae remediis, sollicitus, aduocari ante omnia venerabilem RIBOVIVM nostrum, cuius alias ministerio vti solebat, iuberet. Voluit etiam laudatus ante BRENDELIVS noster, Segnerum, sibi in talis viri periculo velut succenturiari, cum ordinis nostri senior et primarius professor, illustris RICHTERVS, ad alios aegrotos peregre vocatus abesset. Eo aduolaui cupidius, quo ipse fideliorem, sapientiorem, et enixiorem mihi operam in hoc magistratu gerendo per hosce aliquot menses nauauerat. Inuenio celerrima mali incrementa, circa meridiem rem pene conclamatam, cum aliquot horis nec sermo, nec sensus, nec cuiusquam rei memoria vel conscientia adesset, respiratio autem citatissima, breuissimaque. Adhibentur tamen, quae in re tam trepida prima esse solent, atque eo quidem successu, vt post meridiem spes rediret, posse illum viuere, eaque spes sub vesperam ita augeretur, vt secunda omnia polliceri ex artis praeceptis liceret. Nec nox, aut dies, qui hanc proxime insecutus est, aliquid de spe illa imminuebant. Verum enim vero cum iam de recreando corpore, et recipiendis viribus deliberaretur, languens in dies magis cibi appetentia, somnus, quo et alias parco admodum vtebatur, vel plane nullus, vel subinde interruptus, neque ille quidquam adferens leuamenti, tum febris pomeridianis horis ingruens, et imminutae continuo lapsu vires, non solidam fuisse illam spem, sed vltimum velut reluctan-

ctantis naturae conatum, ostendebant. Inter haec tamen quidquid habet medicina praesidii adhibitum, conferente consilia post reditum suum etiam illustri RICHTERO, neque quidquam non tentatum, quo produci vita posset, in qua tantum a dacademiae felicitatem momentum esse, nobis constaret. Ita ad duodecimum vsque a decubitu diem contra vim morbi auxiliari naturae studuimus: quo tempore attenuatae vires, circumagendis humoribus non iam pares, stagnans circa pedes serum reliquere, et alia cachexias se prodiderunt indicia. Vrgebat insuper respirandi illa difficultas, asthmaticum symptoma noctes reddebat difficiles: quodque potissimum terrebat, sanguis sincerus, nec ille tamen floridus, sed ater tenaxque, screatu atque tussi excernebatur. Quibus rebus factum est, vt caelestis animus, diutius incolere tam ruinosas aedes detrectans, ipso die XXIII. Maii, quo dominicae in caelos ascensionis memoriam vsurpat ecclesia, ad superos euolarit, hora matutina secunda."

Inter haec quo magis in arcto esse spes longioris vitae coepit, tanto ille minus humana curare, tanto magis erigi ad caelestia: qua in re cum venerabilis sacrorum in vrbe et agro Gottingensi Antistes, idemque collega noster amantissimus RIBOVIVS, sacris epulis domi instructis, et oratione qua pollet, consolationis pleniissima volentem illum iuuit; tum CRVSIVS atque OPORINVS, collegae et ipsi venerandi, de spe nostra, et bonis vitae alterius cum illo ita egerunt, vt testimonium viro perhibeant animi a metu mortis imper-

perturbati, et ad partam per filium Dei immortalitatem cupide, ſummaque cum fiducia, adſpirantis: cuius rei tanto certior nobis fides eſt, quod ad ſummum pene halitum integrae illum mentis et ſenſuum ſatis acutorum manſiſſe, ſatis conſtat. Hunc vos virum, ciues cariſſimi, triſti nobis fato ereptum, ita lugebitis, vti ſacra exſequialia (corpus enim terrae templi academici mandatum ſtatim eſt) frequentia modeſta nobiſcum obeatis

a. d. XIII. Iunii hora II. in templo academico.

virtutum ipſius imagine ad optima ſtudia incitemini, memoriam beneficiorum et meritorum viri cum perpetua in ipſius gentem etiam beniuolentia vſurpetis. Eumdem honorem, eamdem beniuolentiam, etiam ab ampliſſimo ordine vrbis et ciuitatis huius, nec non a venerandis ſacrorum adminiſtris, et reliquis, quibus haec tabella tradetur, officioſe et peramanter petimus. Gottingae. a. d. VIIII. Iunii cIↃIↃCCXXXXIII.



****

XXXII.

ORATIO IN FVNERE IOANNIS SALOMONIS BRVNQVELLI,

A. D. XV. IVN. CIↃIↃCCXXXV.

AD. D. IOANNIS HABITA.

Illustris et Magnifice Commissarie, illustrissimi Comites, Professores excellentissimi, venerandi sacrorum antistites, amplissimi Magistratus, generosi atque nobilissimi ciues academiae, amor noster, spes patriae, tuque reliqua vel ciuium huius vrbis, vel hospitum, suis quique titulis ornatissima corona.

Sextus hodie et vicesimus dies est, cum ad superos a nobis abiit *vir magnificus atque illustris* Io. Salomo Brvnqvellvs, *S. R. maiestatis a consiliis aulicis, iuris canonici in hac academia professor, iuridicae facultatis ordinarius, et Litterariae vniuersitati prorectoris auctoritate regendae commissarius regius.* Si in mediocri anima iactura facta esset, si vulgaris esset dolor, ab hoc ipso interiecto tempore lenimentum atque medicinam haberet. Sed tantum in Brvnqvello perdidimus, auditores, quantum in recenti luctu obstupescens dolor et ipse se non capiens, peruidere non potuit. Ad hoc ipsum valuere hi dies, vt per singula eundo aestimare demum calamitatem nostram, et qualis

qualis quantaque ea est, talem tantamque ad animum demittere potuerimus. Et si quam etiam ad retundendos acutissimi doloris stimulos temporis illa intercapedo vim habuit: at nunc quasi rupta cicatrice recrudescit luctus, quem hic ipse apparatus, ipsa perhonorifica Manibus Brunquellianis praesentia vestra A. A. lenire debebat. Equidem dum inane hoc et destitutum vero corpore feretrum contueor, videor mihi apertam subito hanc machinam, et iacentem in ea non iam BRVNQVELLVM, sed miseras BRVNQVELLI reliquias videre, eo fere habitu, et flebili specie, qua vltimum eum vidimus, cum occupans paullatim mancipium suum mors hinc luridum pallorem vegeto corpori induceret, hinc splendore ablato rigidos redderet oculos illos, quibus paullo ante vel ad conciliandos sibi animos, vel ad muneris sui obeundas partes tam praeclare vtebatur; cum frenaret linguam, vt verba emorerentur intra ipsa labia viri disertissimi, et ad publicam priuatorumque vel salutem tuendam vel mouendam voluptatem tam praeclare lingua et sermone vtentis: cum manus obrigescerent fide, calami vsu, liberalitate, praestantes: cum adflictum iaceret corpus, quod ipsa statura atque conformatione sua dignitatem viro atque venerationem conciliaret. Talis, tam lacrumabili habitu obuersans animo BRVNQVELLVS ita me perturbat, vt difficile mihi sit susceptam personam perferre. Heu pater! heu lumen huius academiae! heu decus vnicum! Siccine destituis spes nostras? Sic ne fiduciam de te conceptam eludis? Hocne fuit, quod de te sperabamus omnes, qui tuam doctrinam, tuam prudentiam, humanitatem tuam noueramus? Ideone summo studio, conditionibus amplissi-

mis, non sine magnis difficultatibus huc euocatus es, vt paullo post morte a nobis discederes? ideo ne tanta nobis aduentus tuus commoda ostendit, vt tanto ampliorem paullo post nanciscemur lugendi materiem? Conferte A. A. hunc diem cum illo, quo primum ad Spartam suscipiendam huc venit BRVNQVELLVS. Tum erecti omnes litteratae vniuersitatis ciues non sine impatientia aduenientem exspectabant. Occurrunt equis vecti, qui poterant, alii pedibus; reliqua turba aggerem et portam obsident, alacri laetitia et gratulabundi aduentantem excipiunt, deducunt, et sub noctem musicis concentibus ipsum honorant, quantique faciant virum, tum rebus caeteris, tum modestia praesertim sua atque verecundia significant. Nunc quam mutata sit ab illa rerum facies, non sine intimo doloris sensu videmus. Deiectos vultus cernimus, sollicitum obseruamus silentium, in ipso gestu atque habitu moestitiam, lugubria omnia. Domus, quam paullo ante celebrabat flos ipse iuuentutis nostrae, nunc solitudine et squalore miserandum inconstantiae rerum humanarum exemplum praebet. Atque vt melius appareat, quantam in BRVNQVELLO iacturam fecerimus, quam iustas proinde lugendi causas habeamus, immoremur, agite, aliquantum tristi licet cogitationi. Percenseamus bona nostra, quae perdidimus; numerum, si potest, ineamus earum rerum, quas vel abstulit nobis, vel intercepit ingens illa, quae BRVNQVELLVM eripuit, calamitas. Idque eo magis faciendum arbitramur, quod eadem etiam consolationis quaedam iaci fundamenta videntur posse. Habet enim hoc luctus eorum, qui cari nobis fuere, vt initio quidem pungat et vehementer stimulet bonorum amisso-

amissorum cogitatio; deinde vero non minus sit iucunda, quam aliarum recordatio voluptatum, cuius quidem opera reuocare quasi et repraesentare animo ea etiam possumus, quibus iam non aliter, quam sola animi aduersione frui licet. Neque vero inane illud consolationis ac doloris leniendi genus putandum est, cum ipsarum etiam, quae praesentes nobis sunt, rerum nihil aliud ad animum nostrum praeter imagines illas, quas cogitatione effingimus, pertineat. *Agite* igitur A. A. obfirmato ad dolorem animo intueamur iam BRVNQVELLVM nostrum, et ita distribuamus decora ipsius et bona, quae amauimus, dum noster erat, quae lugemus amissa, quae contingere nobis optamus in aliis, vt illum *ICtum bonum*, *bonum ciuem*, *bonum* denique *litteratae ciuitatis rectorem* fuisse, doceamus.

Ac primum quidem non opus est in hoc conuentu ostendere, tria esse, quibus opus sit, vt aliquis in vnoquoque doctrinae aut cuiuscumque adeo artis genere ad fastigium aliquod perueniat, natura siue ingenio, tum praeceptis atque institutione, exercitatione denique et vsu: sed ab his omnibus praeclare instructum fuisse BRVNQVELLVM, facile apparebit, si vitae ipsius rationes paullo repetere altius placeat. In schola natus est, patre felici puerilium ingeniorum formatore, cui generi pro contemtu, quo solent onerari, iisque quibus vulgo obruuntur, molestiis eam saepe attributam felicitatem obseruamus, vti filios habeant tanto honoratiores, quo minoris ipsi apud imperitos aestimantur. Vidit nostra atque patrum aetas ex eo genere Wernheros, Bergeros, Thomasios, Schurzfleischios, ne de pluribus, his praesertim qui supersunt, commemorem,

magnos viros, qui in eam cogitationem inducere aliquem possint, non formari modo sed nasci etiam in scholis praeclara ingenia. BRVNQVELLI certe nostri pater, qui instituendae ad humanitatem pueritiae in Quedlinburgensi gymnasio fidelem dedit operam, hac felicitate auctus est anno saeculi superioris 93, vt filius sibi nasceretur nulli eorum, quos commemorauimus, nisi arctis viuendi spatiis excluſus esset, secundus. Sed filio etiam peropportune accidit, quod eum patrem haberet, qui disciplina iuuare ingenium, et aetatem teneram praeclaris augere institutis posset. Succeſſit deinde patri, quo iuuenis orbatus est, vicaria quasi aliorum opera, quam cupide amplexus noster, in Ienensem academiam ea doctrinae humanioris fundamenta adtulit, quibus deinde superstrui atque inaedificari possent tum vniuersalia sapientiae praecepta, quam philosophiam vocamus, tum legitimae praesertim scientiae, et quae huius vel adiumenta vel ornamenta ex historiarum studiis petuntur. Cumque nactus esset praestantissimos doctores, quorum eruditioni, diligentiae, fidei, sua ipse discendi cupiditate atque obsequio responderet, ac post triennium sic exactum simili deinde industria Lipsienses musas coleret; nihil supererat, quam vt ipso etiam rerum actu, ad quae vel ab ingenio aptus, vel a doctrina paratus esset, confirmaret, et numeros ita omnes ICti paullatim impleret. Et cogitauerat ille quidem istum quasi Colophonem legitimae doctrinae addere in patria sua, et opera forensi tum iuuare ciues suos, tum suam ipse prudentiam augere. Verum enim vero reditum ipsi in Ienensem academiam, et ad maiora aditum machinata fuerat caelestis prouidentia, quae per eas nos vias ducere consueuit, quarum flexus omnes atque anfractus praenoscere ne oculatissimis quidem

dem

dem datum est; exitus vero intuenti a summa sapientia institutas atque dispositas esse, facile apparet. Ductore atque comite opus est generoso iuueni in laudatam academiam ituro; non inueniunt, quorum ea curatio erat, BRVNQVELLO nostro aptiorem. Hic vero videres, quod est in Graecorum prouerbio, equum in campum immissum, BRVNQVELLVM adeo cupide, strenue adeo remetientem quasi de nouo iurisprudentiae, quos iam decurrerat, campos, et deinde cum ad docendos alios, tum ad causas in foro agendas ita incumbentem strenue, vt ipso inuitante vtriusque rei successu, et honores petere academicos, et sedem sibi stabilem circumspicere in Ienensi athenaeo statueret. Est illa maxima, A. A. doctarum vniuersitatum, quae aliquam diu iam floruerunt, commoditas, quod se quasi ipsae alunt, et in suo sibi sinu educant viros vndecumque ad se delatos, qui subire paullatim ac deinde plane suffici in locum decedentium doctorum possint, cum vbi noua instituenda schola est, incredibiles fere difficultates ex instructorum ab ingenio, eruditione, et fama hominum inopia obiiciantur; quod quale sit summi viri intelligunt, quibus id negotii datum est, vt huic ipsi academiae nostrae doctores idoneos prospiciant. Quo autem frequentior est academia, et aemulantibus eadem studia plenior, tanto difficilius est in multitudine hominum idem spectantium ad fastigium illud emergere. Tanto igitur magis laudanda non fortuna BRVNQVELLI, sed virtus, qua perfecit, adspirante quidem successum Deo, vt ipse per diuersos gradus, superato celeriter et perfecto, qui in illa schola sollemnis est, honorum cursu, ad anteceſſoris dignitatem perueniret, et in collegia iuri dicundo, rebusque et litibus iudicandis, cooptaretur. Sapienter autem ibi et hoc constitutum est,

vt iisdem fere spatiis gradibusque ad docendi apicem perueniatur, quibus in actu rerum, causisque primum agendis, deinde iudicandis, proceditur. Ita noster, post ipsum docturae, quem ita vocare liceat, honorem, admissus est ad patrocinia in curia sereniss. ducum Saxoniae suscipienda; tum quasi auctis exercitatione copiis extra ordinem iura docere iussus; postea peritiam, quae inde creuerat, ad scabinorum, quos vocant collegium conferre; deinde, post noua hinc etiam eruditionis incrementa ordinariam iuris professionem suscipere; summam denique iuris omnis prudentiam, his quasi gradibus auctam, inter curiae prouincialis Saxonicae assessores, et in consilio sereniſſimorum principum aulico explicare. Qui vel hunc ipsum, quem tenuit BRVNQVELLVS, studiorum pariter atque honoris cursum cogitauerit; ille quanta res sit ICtus hoc tanto nomine dignus, quantus proinde vir fuerit, BRVNQVELLVS noster, intelliget. Non sane legum multarum memoria, et notitia formularum, non qualicumque in cauendo calliditate, aut vafritie in fallendo censendi sunt ICti hodie, (quod quis de illis, quos Tullius non numquam ridet, forte dixerit) sed ea interpretandi leges Romanas, Germanicas, antiquas et nouas peritia, quae sine infinitis prope litteris et studio incredibili comparari nequit; ea porro singularum legum ad ipsa facta applicandarum scientia, quam praestantissimis etiam ingeniis, et multa doctrina nixis, non nisi multo vsu rerum atque exercitatione contingere, satis constat. Talis igitur tantusque ICtus fuit BRVNQVELLVS, qualem quantumque suspicari, si quis aliunde iudicare non possit, fas est eum, cui ex omnibus Germaniae partibus certatim homines nobilissimi causas suas, quin liberos suos, sua pignora commendauerint; eum,

eum, cui rex sapientissimus de consilii sui, virorum prudentiae laude florentissimorum, sententia, primas dicendi iuris, alteras autem docendi partes in academia sua, quam nulla parte optimis quibusque inferiorem esse cupit, imposuerit; quem rebus nostris adhuc propter ipsam nouitatem imbecillis rectorem moderatoremque praefecerit; quem praeclare sustinere, quidquid impositum esset oneris atque muneris, quicumque iudicare aliquid possunt, vno omnes ore profitentur.

Magna profecto laus, sed tanto illustrior, quod adiunctam illam alteram habuit, cui non nimis bene cum priore illa conuenire, vulgaris opinio est; commendationem dico *boni viri* atque *ciuis*. Sunt haec ipsa inter se aliquantum diuersa, cum bonum ciuem vocare non numquam cogamur, quem virum bonum dicere dubitemus; et boni viri laus negari interdum sine iniuria non possit, quem bonum ciuem nemo facile dixerit. Sed ista subtilius hic quidem non disputamus. Bonum ciuem BRVNQVELLVM fuisse confirmamus, hoc est, eum virum, qui et ex animi sui sententia certoque proposito vtilis esse vellet tum vniuersim reipublicae, tum singulatim quibuscumque posset, et egregiam eius rei facultatem atque copiam haberet. Poterat sane aliquis conferre in ipsum Catonianam oratoris definitionem, et ICtum, qualis ipse fuit, dicere virum atque ciuem bonum, iuris diuini atque humani peritum: adeo ille consilia omnia atque actiones ad communem referre vtilitatem consueuerat. Habebat illius consuetudinis a firma animi inductione profectae fundamentum pietatem aduersus immortalem Deum, qua a teneris inde vnguiculis imbutus fuerat, quamque deinde ab ipsa ratione, tum

etiam a ſoceri ipſius contubernio confirmatam atque a ſuperſtitione puram, tota vita magis exprimebat, quam diſputando et ritibus quibuſdam obeundis prae ſe ferebat. Quae non eo pertinent, A. A. quaſi parcus templorum cultor, et contemtor publicarum caerimoniarum fuerit; nemo enim hac etiam in parte honeſti atque decori obſeruantior. Sed illud volumus, pietatem illius non ita anguſtis limitibus circumſcriptam, totius potius vitae atque omnium actionum magiſtram, quam anxiam caerimoniarum cuſtodem fuiſſe. Quod de ſocero modo innuebamus, illud eiuſmodi eſt. Quicumque nouerunt GVIL. HIERON. BRVCKNERVM, illuſtri dignitate et meritis virum, norunt autem qui per hoſce triginta amplius annos Ienae fuerunt, iidem ſciunt, virum eſſe, vti doctum et ſapientem, ita in primis, nemine, quod audiuerim, contra diſputante, pium; et quod caput eſt, pium ſine oſtentatione, ſine reprehenſione aliorum, ſine aſperitate, ſine affectatione denique, et quaecumque alia vitia non tam comitari, quam infamare pietatem ſolent. Huius viris hac laude, quod diximus, conſpicui, filiam, caſte et pudice habitam, atque a ſaeculi corruptela puram, quod vxorem ſibi expetiit, impetrauit, habuit, quod cum hac vxore, cum hoc ſocero, ſuauiſſime coniunctiſſimeque vixit, nonne ipſum quoque religioſae pietatis in BRVNQVELLO noſtro ſignum eſt? Hunc ſocerum igitur imitatus, quin ſanctis Chriſti Dei praeceptis obſecutus, primo ſe ſuumque animum formare ſtuduit, deinde familiam bene ad felicitatem tum quae hac vita continetur, tum quae poſt ſperatur, gubernare; hinc egreſſus ciuibus ſuis quacumque poſſet re vel opera com-

commodare. Vnde factum est, vt domum ipsius non modo percontandi caussa, tamquam ad oraculum quoddam confluerent homines, sed etiam ad opem, quae a bonis ciuibus atque amicis speratur, petendam. Neque sane quisquam ab eo culpa ipsius tristis discessit, qui suam felicitatem interpretaretur, si posset prodesse quam plurimis. Senserunt propitiam hanc et promtam ad iuuandum voluntatem viduae complures mulieres, et destituti parentibus liberi, qui grati agnoscunt, per illum factum esse, vt minus sibi viderentur miseri: quorum precibus quoque, speramus, hoc dabit Deus, vt adflictissima BRVNQVELLI familia in aliis inueniat non minus praesidii, quam in ipso alii saepe habuerunt. Sciebat nimirum BRVNQVELLVS, etiam ita remp. cui natum se putabat, nauari, si singulis opem praestaret, his praesertim, qui indigere ea praeter caeteros, aut opportuni esse iniuriae viderentur. Caeterum ita se instituerat, vt ad publicam vtilitatem et patriae commoda intentus semper esset, tum ipso vitae genere atque instituto, quod totum ei impenderetur, tum quod commoda sua et voluptates illi condonaret. Dubito equidem, A. A. an ea, quae dicturus sum, satis probare, quin declarare etiam omnibus possim: sed quid sentiam tamen, in conuentu praesertim humanissimorum hominum, audebo eloqui. Quantumuis amarae sunt radices humanioris doctrinae, adeo quidem, vt pauci deuorare molestiam, qua ad fructus dulcedinem peruenitur, sustineant: ipsae tamen illae litterae, cum fideliter semel perceptae, atque pleniore hausto gustatae sunt, nescio quae delinimenta habere mihi videntur, vt vix a se dimittant amatores suos, sed sibi solis per otium et quietem a forensi strepitu remotam, adhaerescere eos subi-

gant, et Lotophagorum vel Sirenum adeo fabulam in illis agant. Quod quidem paucis quibusdam contingere, qui vel ad has ipsas litteras docendas animum deinde appellant, vel otium suum illis oblectent, et optabile est, et ferendum facile. Interim laboraret respublica, si praestantissima ingenia, quae sola fere iis rebus capiuntur, inter Sirenum istarum complexus consenescerent. Quare viri fortes et boni ciues esse, et rei publicae amorem suae voluptati praeferre, censendi sunt, qui agunt, quod BRVNQVELLVS noster egit. Haud ille profecto tralaticiam nec infelicem in antiquitate Romana, et optimis scriptoribus cognoscendis operam posuerat. Loquuntur hoc tum aliae viri commentationes, tum illa, quae prima in hac schola, rerum vero humanarum pene vltima illi fuit, in qua consilium aperuit de legibus in iuris pandecten a Triboniano relatis eo ordine atque tenore, quem Labitti ille aureus index commonstrat, edendis prout extant hodie integris, et diuerso adnotationum genere illustrandis; consilium pulcerrimum profecto, quod explicari vehementer mansuetiorum litterarum et solidae iurisprudentiae interest; sed idem tale, quod nec in mentem venire, nec probari potuit, nisi humanissimo viro, et Alciati atque Cuiacianae doctrinae aemulo. Quam vero difficile sit illis deliciis imbuto homini inde ad asperam se et contentiosam respondendi iudicandique rationem conferre; non obscurum esse potest, qui degustare vtramque rem, vel seria certe cogitatione percurrere voluerit. Nisi forte putabimus iucundius esse homini bene nato sexcentas vno spiritu ineptias, nugas, contentiones, iniurias, turpitudines, insanias, scelera, cognoscere, ac sententiam de iis interponere; quam in veteris aeui lingua

gua et moribus cognoscendis, legumque antiquarum sententia perueſtiganda, otium ſuum fallere. Haec igitur qui poteſt, et illa tamen eo ſtudio, quo BRVNQVELLVS noſter, agit, eum profecto, illo ipſo etiam nomine, bonum ciuem, et amabilem his, qui patriam amant, virum eſſe iudicamus. Nam quod alii vel ingenio ſunt pinguiore, quam vt capere illam elegantiam poſſint; vel ad rem et honores illa altera via feſtinandum ſibi putant; horum nihil in BRVNQVELLVM noſtrum conuenit, qui in doctrina, quam diximus, animum tum pecunia ſuperiorem, tum ambitioni malae impenetrabilem, multis rebus declarauerit, et quoties vel potentiorum voluntas, vel priuatum aliquod commodum pugnare cum generoſo illo honeſto videretur, forti animo atque magno diſplicere principibus, vtilitate aliqua carere, quam parum vereri conſcientiam maluerit. Non eſt huius loci, A. A. per exempla ire; ſed quibus familiarius innotuit BRVNQVELLVS, ii nihil praeter rem a nobis dici, non ignorant. Habent hoc adiunctum incommodum non numquam, iuſti tenaceſque propoſiti optimi homines, vt ſeueritate ſua atque aſperitate moleſti ſint aliis, atque illa ipſa re interdum ab opportunitatibus reipubl. iuuandae excludantur. BRVNQVELLI noſtri virtus in ſe tantum fuit rigida, mitis in alios. Hinc pacis, tranquillitatis, concordiae, compoſitionis auctor eſſe, eaſque res ſuadendo, concedendo etiam, quantum eius fieri poſſet, promouere numquam deſtitit: eaque ipſa re in tantum bonus fuit ciuis, quantum in pace atque concordia bonum eſſe, omnes agnoſcunt. Quidni vero bonum h. e. vtiliſſimum reipubl. noſtrae praeſertim ciuem eo etiam nomine praedicemus, quod quo tempore nobiſcum fuit, ciues huc allexit alios

alios et numero satis magno, et splendore generis reliquaque dignitate praestantissimos. Per sane honorificum est huic academiae, nascenti demum, et nondum rebus omnibus exornatae, legi in matricula tot praeclaros ciues, non scribente tantum BRVNQVELLO, sed etiam huc pertrahente, in eam relatos: amplum est illi ad laudem atque famam in ipsis iam incunabulis parandam, legi in vltimo ipsius programmate inter ciues alios minime poenitendos sex illustrissimorum Comitum nomina, qui disputationum publicarum arenam ipso praesidente ingressuri fuerant. Quorum aduentum vt debere nos BRVNQVELLO grati fatemur, ita speramus, fieri posse, vt aliis quibusdam vel viris vel rebus deliniti, consilium vel veniendi vel manendi apud nos non mutent, sed quae in BRVNQVELLO amiserunt et ipsi, ea alicunde restitutum primo quoque tempore iri, nobiscum confidant.

Sed superest, vt bonum etiam fuisse BRVNQVELLVM *litteratae ciuitatis* nostrae *rectorem* ostendamus. Quam difficile sit, praeesse hominibus, nullumque animal ita aegre alienum imperium pati, non opus est Xenophontis vel aliorum philosophorum auctoritate confirmare, cum satis hoc experiantur, qui vllam imperii cuiuscumque partem vmquam attigerint. Inter homines porro nescio an difficillimum sit, imperio continere eos, quos vel calida aetas reddit inquietiores, vel prima libertatis vsurpandae facultas ferociores, vel variarum rerum cognitio callidiores, vel ingenii, generis, ac familiae, opum ac reliquarum copiarum fiducia audaciores, vel, quae vltima classis est, ipsa paupertas et omnium rerum desperatio ad conandum proiectiores. Hoc igitur genus hominum, aut potius haec tam varia hominum genera, ita regere, vt neque

seruili

seruili nimis disciplina virtutis igniculi opprimantur, neque in licentiam pernicioſam effrenis erumpat audacia; hoc vero conſummatae cuiuſdam prudentiae atque ſapientiae opus eſt, qua qui valeat, eum in ſummis adnumerari hominibus debere, equidem arbitror: idemque eam ipſam laudem BRVNQVELLO noſtro deberi, confirmo, quibuſque rebus illud conſecutus ſit, breuiter indicabo. Induxerant in animum, iuſtis illi quidem de cauſſis, ciues noſtri, eum eſſe BRVNQVELLVM, qui et poſſet ſibi conſulere propter prudentiam non doctrina modo, ſed longo ſatis rerum vſu comparatam, et vellet, propter probitatem et ſtudium, quod modo laudabamus, publicae ſalutis. Huic ſi quis repugnaret, ille non tam magiſtratum contemnere videbatur, quod ipſum iam ſatis graue eſt, ſed ſolum cum eſt, non ſatis ſemper validum; quam ſuam ipſe ſalutem, quod nemo niſi ſtultus facit, impugnare. Acceſſit naturae quodam munere, cui diligenter ille obſecutus fuerat, ſingularis prope humanitas, et facillima candoris fides, quum ille expoſitus omnibus atque obuius nudum quaſi pectus, et plenum amoris ac beneuolentiae animum cum honeſtiſſima inſeruiendi voluntate oſtenderet. Quod vt virtutis opus etiam fuiſſe non negamus; ita naturae atque felicitatis cuiuſdam diuinitus adiunctae partes qui hic agnoſcat, is vel eo nomine nihil quidquam de laude viri ſummi detrahit, quod ea etiam, quae virtuti tribuuntur, diuinae in ſe bonitatis opera eſſe, ipſe pro ſua modeſtia agnoſcebat. Interim propter ipſas, quae commemoratae iam ſunt, cauſſas, feliciſſima regiminis ipſius erant auſpicia. Apparebat vos, huius litteratae vniuerſitatis ciues, vos enim alloquor, *gaudium noſtrum atque deliciae, vnicumque doloris noſtri ſolatium, generoſa*

rosa atque nobilis egregiorum ad omnem laudem iuuenum corona, apparebat, inquam, ita amari a vobis BRVNQVELLVM, vt indignum putaretis agere quidquam, quo ille contristaretur, quem nihil ferre constaret molestius, quam quo vestra labefactaretur felicitas. Macte ista virtute estote, carissima capita, felicissimam illam animi adfectionem numquam deponite, beatam nobis porro crescentem hanc rempubl. nostram ista virtute, pudore isto, ista in amantissimos vestri patres beneuolentia, praestate. Redeundum est ad BRVNQVELLVM. Ille reliquas etiam muneris atque magistratus sui partes ita diligenter, alacriter, fideliter, exsequebatur, vt in spem veniremus omnes, feliciter euenturum academiae, quod hoc potissimum viro moderante illa consisteret, et formam quasi suam acciperet, putaremusque magistratum BRVNQVELLI non in praesens modo vtilissimum huic academiae, sed ad omnem quoque posteritatem futurum, idque maiori aliquanto iure augurari videbamur, quam caeli, sub qua nascuntur homines, conformatio vim ad totius vitae cursum habere olim credita est. Sed aliter scilicet Deo visum. Heu! funus illius ducimus, quo cum purpura et sceptris praeeunte, pompam frequentem inaugurandae academiae caussa ducturos nos paullo post sperabamus: heu mortuum detulimus in Paullinam aedem, vbi praesidente illo, prima inaugurationis illius sollemnia nos obituros arbitrabamur. Heu! fallaces hominum spes! heu inania consilia! in vno BRVNQVELLO *ICtum optimum, ciuem optimum, optimum huius litteratae ciuitatis rectorem*, amisimus.

Sed reprimamus dolorem, et remedia potius illius leniendi, quam exasperandi rationes adhibeamus. Si parum hic valet communis mortalitas, quae perpetuam

tuam potius lugendi materiem ſuppeditet, quam conſolandi argumentum: at illud cogitemus, quaecumque nobis eueniunt, ea diuino conſilio euenire omnia, et aut ipſa bona eſſe, aut medicinae et remedii, ad maiora vel occupanda vel ſananda mala rationem habere, aut ad commoditatem aliquam conſequendam pertinere. Si plus ſemel contigit, vt imperatore in acie caeſo, victor tamen exercitus diſcederet; ſi patre intempeſtiue, vt videbatur, defuncto, tanto laetius ſaepe familia effloruit: quidni acerbiſſimus, quantum nunc aeſtimare licet, caſus, occultas iam quidem certas tamen futurae felicitatis rationes continere poſſit? Conſoletur nos potentiſſimi regis noſtri, patriae patris indulgentiſſimi, fauſto nuper pede Germanicam ditionem ſuam ingreſſi, prouidentia, cuius nutu primo curatum eſt, vt mori non videatur, non deſit certe, qui hanc academiam auctoritate et conſilio regat; deinde vt hac ipſa funebri pompa inſtituta intelligant omnes, honoratiſſimos velle regem indulgentiſſimum, et viuos, et mortuos, qui praeclare in rei huius publicae procuratione verſantur. Quid amantibus contingere ſoleat, recordemur iterum, A. A. His ſi in ipſo principio luctus, et inter primas doloris faces atque ſtimulos, imago forte obiiciatur abſentis aut mortui adeo amici, exclamant, et in flebiles ſoluuntur querelas. At paullo poſt in eadem imagine conſolabilem moeroris ſui oblectationem quaerunt, inueniuntque: ipſa illa loca frequentant, reliquias illas tractant, quae monumentum aliquod amici habent; lamentationis et fletus paullo ante materiem in tranquillitatis et placidae cuiusdam ac ſincerae voluptatis argumenta conuertunt. Hoc ipſum in BRVNQVELLO imitemur,

mur, A. A. Luctuosam licet nunc et flebilem viri imaginem hauriamus animis, et profunde imprimamus. Quantam ea nunc, damni quod fecimus cogitatione, adfert tristitiam, tantum suauitatis in posterum et iucunditatis adeo habebit: quin neque vtilitate maxima ea res carebit. Animus enim in cogitandis admirandisque illius virtutibus defixus magis magisque ad earum imitationem incitabitur, conformabitur ad exemplum. sic post fatum etiam suum noster esse BRVNQVELLVS, bonus et vtilis nobis esse, non desinet.

Tum tu, pater optime maxime, cuius nutu atque voluntate ista nobis obuenit calamitas, medicinam ipse praestantissimam nostris malis adhibebis, et sanctum ac salutare fuisse nobis quidquid hic fuit incommodi, exitu beato demonstrabis. Saluum nobis et incolumem praesta indulgentissimum regem nostrum atque patrem, tuae inter nos maiestatis vicarium, quo saluo infelices nos esse vix possumus; suaeque ipsum domus atque imperii sui felicitate, nos prouidentia ipsius atque beneficiis diutissime frui iube. Tuere, pater, hanc dicatam publicae saluti sapientiae ac pietatis officinam, atque tenerae instar plantae fouendam ipse atque alendam suscipe. Tuere vrbem, quae hospitium nobis praebet, atque ad omnes illius ordines ornamenta inde atque commoda vt perueniant, effice. Familiae BRVNQVELLI adflictissimae solatia pariter auxiliaque pro infinita sapientia tua et bonitate suppedita. Totam denique patriam nostram prouidentia tua ita complectere, vt saluo rege, salua vigeat floreatque respublica!

DIXI.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697591/phys_0154
DFG

de tota academia noſtra prae-
aeterno monumento celebra-
e noſtrum nobis conditorem de-
pietate colendum non minus,
ſuos ΚΤΙΣΤΑΣ, heroas
** venerati ſunt. Annus eſt
m alio etiam munere de rebus
itus eſt, ſcribendis *actis diur-*
tantum doctrinae, venuſtatis, ſa-
entis viſcera, ſed candidi, ſicci,
agnouere qui naſum habent, vt
genere hodie ſuffragiis arbitro-
ieretur.

iebat ac moliebatur TREVE-
ole ſua vel voluminum multitu-
Graeuianis, Gronouianis, Mura-
im fuiſſet, *Theſaurum antiquita-*
e quo edendo iam anno ſaeculi
XXI.

7 Sept. eiuſdem anni. *De iure criminali*
lime diiudicando. Actio illa, qua inter
magiſtros philoſophiae renunciauit, hiſto-
iuncta eſt.

he Geſchlechts-Hiſtorie des hochadlichen
Münchhauſen, worinnen die Abſtammung
dem XII. Iahrhunderte an mit vielen aus
und Regiſtraturen gezogenen Vrkunden,
und andern Zeugniſſen deutlich erwieſen
nge häufiger Diplomatum und Vrkunden
und Stammtafeln verſehen von Gottlieb
gl. Groſsbrit. und Churfürſtl. Braunſchw.
Profeſſ. Publ. bey der Georg Auguſt Vni-
h. 23. Kupfer. Göttingen bey Abr. Van-

ANHEMIVS *de vſu et praeſt. numiſ.*
563. ſeqq.